

1
6
50











FRANCISCI PATRICII APOLOGIA.

CONTRA CALVMNIAS *Theodori Angelutij eiusq; nouæ sententiæ quòd Metaphysica eadem sint, quæ Physica.*

EVERSIO.



FERRARIAE.

APVD DOMINICVM MAMARELLVM.

M. D. LXXXIIII.


Superiorum permissu.



FRANCISCI PATRICII APOLOGIA.

Aduersus Theodorum Angelutium.

AD CAESAREM CREMONINUM Philosophum insignem.



AL. Martijs proxime elapsis, in manus meas venit liber, Theodori cuiusdam Angelutij, quem ante eam diem, ne de nomine quidem noueram. Ei libro titulus erat. Quòd Metaphysica, eadem sint quæ Physica. Nouitate inscriptionis motus, legere ab initio cœpi. Prima statim pagina nomen meum comperi. Qua de re, lectionem auidius prosequor, vsq; ad calcem disputationis contra me institutæ. Ex ea colligo, me ab eo varijs nominibus accusari. Nempe, quod multa quæ scripserim, non intellexerim, mera commenta finxerim, falsa multa sumpserim, falsis ea argumentationibus probauerim; esse me in intelligendo tardum, immemorem. Quorum sanè nihil quicquam, me admodũ commouit. Conscius enim mihi ipsi eram, exiguitatis ingenioli mei. Et noueram, omnes homines, errare posse. Sed quæ inter hæc, mixta sunt, audacia scilicet mihi obiecta, & audax libertas, & temeritas, & vanitas, & mentis obstinatio, & me, pro lege, & ratione, proprium arbitrium ex more sequi, & semper diuinare, & veterum libris adimere, addere, eosq; in dubium reuocare, & nescire se quisnam Deus id faciendi potestatem mihi tribuerit: mendacemq; me esse, & postulare, mihi magis credi, ob tenuissimas coniecturas, quam antiquo Philosopho Philopono, mordacia nimium visa sunt, & vt verum, tibi Cæsar optime, fatear, me non mediocriter commouerunt. Vt qui planè scirem, me vsq; ab initio discussionum mearum, fuisse professum nihil quicquam, me dicturum sine veterum Authorum testimonijs, verbaq; ipsorum Græca vbi possem,

Latinaq; allaturum, ne a me confictum quicquam putaretur. Quod etiam pro viribus vbiq; obseruaui. Scio mehercule, id iuris omnibus ingenijs fuisse, vt quę in doctrina aliqua sentirent, palam proferent; quæque ab alijs prolata essent, iudicarent; & si liberet, contra ea quoq; dicerent. Et quo iure nos in Aristotele, Peripatoq; discutiendo vsi fueramus, id ipsum ius in nostris scriptis excutiendis, multos vsurpaturos. Sed pręter ea quæ ad dogmata, atq; ad eorum intelligentiam spectant, etiam contra mores inuehi, idq; contra ius fasq; facere, improbi hominis esse, omnes sanæ mētis homines semper iudicarunt. Itaq; postera statim die ad respondendum nos accinximus. Duo interim non satis æquo animo ferentes, quod hic homo, qui in nos tam libere inuehebatur, dum Philosophus videri cupit, sophista putidus euadat. Et quòd, dū ei rationibus est agēdum, calumnias machinatur. Dum hæc meditor, in mentem venit, ad amicos quosdam, Venetias ac Taruisium scribere, vt quis hominum hic vir esset, mihi nunciarent. In responsis habui, hominem esse iuuenem, audacem, impudentem, effrontem, contentiosum, qui se omnia scire putaret; omnibus contradiceret, sophistam, eristicum, Parisiis studuisse, Scholasticæ Theologiæ esse innutritum. E' Gallijs Venetias venisse. Cum Antonio Theupulo Viro Clariß. dum Brixiam, præturam gesturus proficisceretur, magistrum domus ijsse. Inde ante tempus, cum domini offensione reuersum eße; curasse postea, vt Taruisium vocaretur grammatices puerulorumq; magister. Eo profectum, non pati, Pædagogum se nominari, Philosophum interim acrem profiteri.

Hacce notitia de eo habita, indigna res visa est, vt quę nos, per summos studiorum labores, ex veterum monimentis erueramus, & simul composueramus, & quæ non probarentur, modestissime impugnaueramus, a tali homine conuellerentur per summam iniuriam, ac lacerarentur. Itaq; calamum in manus sumpsimus, indignabundi, Talem se se nobis primum hostem ostendisse, non Turnum aliquem, aut Hectorem, quo cum gloriose, & decertaremus & vinceremus. Aut quòd non aliquis de Peripato senator, non hic in ea schola capite tantum census, nobis occurrißet, quem nobiliores ordines, non dignarentur in Peripatum admittere, clam autem illapsum, cum sibilis & strepitu eijcerent, atq; exploderent. Attamen nos ab istius modi hominis calumnijs statuimus liberare. A maledictis, quātum magni animi patiētia sufferat, abstinere, modestia ac mansuetudine nostra vti, & nostris meritis, quam auet nominis immortalitate eum donare, verum capite iniurio, bardoq; vecordiq; damnatum. Tibi autem Cæsar Cremonine, viro modestissimo, & amico singulari, & in Philosophia in hac publica Academia, magna tua cum laude, docenda, eximie exercitato, hanc nostram Apologiam damus ac dicamus. Scimus enim te falsas ac futiles aduersarij nostri, &

malignas

malignas obiectiones, nostrasq; verissimas & solidas defensiones optime posse dijudicare. Quo autem distinctiore, ac clariore lectione vtare, in tres partes eam vniuersam partiti sumus. Quarum prima falsitates omnes, & mendacia contra historiam ab eo commissa, ostendimus, in epistola quam ad Franciscum Bethignolam Brixium dedit, virum, vt audimus, & nobilitate, & morum probitate, & doctrina, & rerum peritia illustrem, quem honoris causa nominamus. In secunda respondemus, ad omnes eius obiectiones, & calumnias, quibus nos per summam iniuriam atq; inscitiam lacessiuit. Tertia vero confutamus, nouam quandam suam sententiam de Libris Metaphysicis, ab eo, vti putat, in Aristotele repertam, nequaquam Aristotelicam, & in Peripato minime omnium Peripateticam. Rem ergo primo loco propositam aggrediamur: eiusq; epistolæ maiorem partem excutiamus. Cuius hęc prima sunt verba.

PRIMA APOLOGIAE PARS.



VANTI facienda sit Aristotelis doctrina, qua artibus ac scientijs propè omnibus, vera & germana facies, aut primum tributa, aut restituta fuit. In quibus verbis si pro artibus, artes Aristotelicæ intelligãtur, habitus scilicet cum ratione factiui, sanè Aristotelis doctrina, artem eiusmodi ullam omnino, nec primò produxit, nec postea restituit. Nullius enim præcepta artis, tota ea traduntur. Multæ ante Aristotelem natum, artes floruerunt nobiles, pictura, sculptura, plastica, architectura, machinaria, & ignobiliores ferraria, lignaria, aliæ innumeræ, & eæ quidem perfectę ita, vt vllam ex Aristotele nec originem, nec incrementa acceperint, & post eũ seculis multis floruerunt eædem. Et si quando extinctæ sunt, paulo supra nostra tempora reuixerunt, nullo sibi à Philosophia Aristotelis adiumento proueniente. Et aliquæ etiam nouæ ijsdem seculis sunt natæ, bombardica, Impressoria, chymici generis multę, quę cũ Aristotele nullam rẽ habent communẽ. Si vero Artes Angelutio isti, sunt eæ quas vulgus liberales vocant, Grammatice, Rhetorice, Logice, Poetice, Rithmice, Musica, Medicina, multis ætatibus Aristotelem antecesserunt, Orpheus, Olympus, Marsyas, Aristarchus, Empedocles, Corax, Thrasimachus, Zeno, Hippocrates, Democritus harum artium repertores, auctoresq. Astrologia (si quoq; inter artes reponamus) apud Chaldęos has, Arithmetice apud Phœnices, Geometria apud Aegyptios, & inuentæ, & maximopere sunt excultæ, antequam Aristotelem Græcia viderit. Falsitas ergo hæc prima ex ignoratione historiæ ꝑfecta est. Nõ minus falsitas secũda de, Sciẽtijs, inde fluxit. Quũ ante Aristotelem apud Chaldęos eosdem, & Aegyptios, apud Hebręos, & Magos, & Gymnosophistas, & Brachmanas, & Phęnices, Lybias etiam, atq; apud gentes alias, omnes Scientiæ & notæ fuerunt, & eas viri sapientes docuerunt. Theologia, Mathematica, Physiologia, ciuilis omnis Philosophia, apud Græcos etiam fuerunt. Neque vllam harum Aristoteles vel inuenit, vel perfecit, quamuis Auen Rois impudentissime de tribus mentiatur, Theologia, Physiologia, logica.

Quod

Quod apud eũ hic admirator, & legit, & credidit, quoniam omnia magna de Ariſtotele ſuo, toto animo libens ſuſcipiebat. At hic idem meminiſſe debebat, alio loco Auen Rois (ſi modo eius ſcripta, vti videri vult, perlegit) ſcripſiſſe; ſcientias omnes olim apud Chaldæos ita fuiſſe perfectas, ſicuti tẽpore Ariſtotelis. Quæ uerba, & authorem ſuum, in alia illa ſententia, & admiratorem hunc mendacij conuincunt. Quin imò, tota hæc naturalis Philoſophia, & moralis itidem, quæ maxime hunc miratorem in Ariſtotelis admirationem trahunt, non eſt Ariſtotelis. Sed illa a variis Phyſiologis veteribus, hęc vero a Pythagoreis eſt deſumpta, & in ordinem quẽdam ſuum redacta. Quam rem abundè I I. Diſcuſsionum Tomo commõſtrauimus. Quid ergo duabus hiſce falſitatibus, in primis miratoris huius verbis, ex hiſtoriæ, ignorantia profectis, faciemus? Nam ſi hæc, quæ pro argumento mirabilium quarundam vtilitatum, ex Ariſtotelis doctrina prouenientium, allata ab eo fuerant, falſa ſunt, non ſolum quod intenderat, non adſtruit, ſed contrarium prorſus conſtruit. Nẽpe, quando Ariſtotelis doctrina, nullis artibus, nullisq; ſcientijs adiumento fuerit, aut ſit, aut ſit futura, eam nullius precij eſſe debere, vel ſaltem tanti eſſe faciendam, quãti res, quæ ad nullas artes, nullasq; ſcientias conducat. Sic enim ex argumentatione illius conſequi eſt neceſſe. Tam belle admirator eius iſte, & laudator, laudat, vt pro laudibus, vituperia concludat. Nec minore artificio falſitatis vſus eſt hiſce aliis proximis.

Omnes omnium temporum, & gentium homines perfectè norunt. In quibus, vltimum hoc, Norunt, in Ignorant, verius commutaſſet. Perfectè enim ignorant omnes omnium gentium homines hoc ipſum. Nam ſi falsò vti oſtendimus dicta ſunt, falſa nemo verè nouit, docente Ariſtotele, tantum res habere veritatis, quantum exiſtentię. falſa autem in rerum natura nõ exiſtũt, quæ autem non ſunt, nec etiam cognoſci poſſunt. Sed etiam (Omnium temporum) ait. Hui bone homo, ẽt tẽporum ante Ariſtotelem natum, præteritorũ? Anni ac tempora, ſi Chroniſtis aliquibus credatur, non pauciores quàm, 3578. Ariſtotelis natiuitatem anteceſſerunt. Si vero Ariſtoteli ſuo, fides habeatur, innumeri, imò infiniti, in ſua illa mũdi, motusque æternitate. Ergo Ariſtoteles non ſolum tempora ab eo nato, ad no-

ad nostrum qui anni sunt, 1955. sed illa quoq; æterna, Aristotelis doctrina, omnium gentium homines, omnes artes, omnesq; scientias docuit? Num etiam Aristoteles cum sua ista doctrina æternus? Et si ęternus a parte ante, vt sui compares loquuntur, æternus etiam a parte post? Num ergo adhuc viuit & visitur? In sui admiratoris nimirum anima, in sui etiam corpore. Veneramur ergo te bone Aristoteles, quia æternus es, & vt anima tua tradit, viuis in secula seculorum. Sed age, in re seria ne iocemur. Quid ais præterea, bone admirator? estimatione, Aristotelem suum pendet, Philippi Macedonum Regis. Nempe, quia reges, omnia recte estimare solent? etiã nepharia quę perpetrant, & aduersa quę patiuntur? An vero, quia hic Rex, vti sciẽs, vti Philosophus, alium Philosophum recte pendit? At hic solus omnium, fuit Aristotelis rectus pẽsor, tot seculorum decursis spacijs. Verum filium etiam Philippi audiamus. Qui quidem dum puer esset, & aliquot post annis, Aristotelem, & magnum in modum est admiratus, & amauit vehementer. Sed cognitis eius postea technis ac insidijs, amare & magnifacere desiit, sed pro sui animi magnitudine ac probitate, nullo affecit nocumento, qui eum è viuis per summam ingiustitiam, & crudelitatem veneno sustulit. Quod si Principis, qua Princeps, amor erga quempiam aut odium, magni est momenti, maioris principis, momenti etiã maioris fuerit. Ergo Alexandri odium in Aristotelem, postq̃ magnus factus est, ad eius existimationem opprimendam, maioris fuit ponderis quàm amor dum puer & sub patre esset, & patris ipsius admiratio, ad sublimandam. Sed hæc futilia sunt; ex huius tñ hominis argumẽtatione enata. Aiet ipse, se de Philippo obiter attigisse: & maiora multo ea esse, quæ proxime succedunt scilicet.

Tot annorum spacio decursa secula, neminem aut doctiorem Aristotele, aut acutiorem, aut in rebus vel inueniendis vel iudicandis acriorem extitisse.

Hanc ergo maiorem laudem perpendamus.

Si (doctior) accipiatur, pro vt velle videtur nomen, pro eo qui plures doctrinas ab alio sit edoctus, vel alios doceat, multi Aristotele doctiores reperientur. Nam & Zoroaster apud Chaldæos, & Hermes, apud Aegyptios plures doctrinas, docuerunt. Omnes scilicet. Quorum prior ille, etiam omnes adinuenit, & hic, libros 36525. omnibus refersit. Quod &

Iambli-

Iamblichus retulit, & nos in noſtro Hermete commonſtrauimus. Pythagoras quoque inter Gręcos Maximns, & plures longe doctrinas ſuos diſcipulos docuit: & ipſi multo plures Ariſtotelicis fuere, & multo doctiores, ſi vnum duntaxat forte excipiamus Theophraſtrum; qui tamen etiam Platonis auditor fuit, eiusq; doctrinas hauſit. At conferantur libri Democriti qui a Laertio referuntur, magno faſtu ab Ariſtotele oppugnati, non ne varij magis, ac titulis ſplendidioribus col lucent, quàm Ariſtotelici? At Democritus errauit, aiet hic, in atomis ponendis. Videmus quidem nos quid Ariſtoteles ei obiecerit, at non videmus quid Democritus tradiderit; vt inde eliceremus, quod in Platonis, & in aliorum quorundam ſcriptis fecimus, quę falſo ei ab Ariſtotele attributa eſſent. Sed quis non approbet eorum ſententiam, quos Cicero ſcripſit mulros, Theophraſtum Ariſtoteli prętuliſſe, quando & librorum eius numerum, & argumentorum varietatem in Theophraſticis maiorem, quàm in Ariſtotelicis cernamus? Et eorum qui Theophraſti ſuperſunt, & merhodos, & tractationum modos, ſpectemus nihil ſuperflui, nihil vanitatis habentes? Quod de Ariſtotelicis minime dicere quiſquam poteſt, vt vera hac quoque in parte, Epicuri ſententia euadat, vix tertiam eius librorum partem relictam iri, ſi quis dempſerit aliena. Imo vetò ne tertia quidem ſuperfuerit, quando ea dogmata aliena reuera eſſe dignoſcantur, quæ Auen Rois & ſui reliqui admiratores, vti ſua colunt, & prope idololatria adorant. Quod nos ſecundo diſcuſsionum Tomo, non obſcure oſtendimus. Ergo ſi doctior, & doctus is eſt, qui aliena eſt edoctus, concedamus miratori huic, Ariſtotelem omnium doctiſsimum fuiſſe, qui aliena omnia, ſua nulla docuerit. Acutiem etiam ingenij maximam ei tribuamus, qua, quæ ſua nō erant, vt ſua eſſe crederentur, effecit. At hanc eandem ob cauſam, concedere nequimus in rebus inueniendis, neminem Ariſtotele fuiſſe acriorem, quandoquidem inuenerit nihil quandoquidem nullum dogma, vti ſuum, verè memoretur. An non contraditio hæc eſt Angeluti acutiſsime, vt quis doctiſsimus, hoc eſt ab aliis ſit multa edoctus, & ſit etiam eorūdem inuentor? Nos quidem toto ſecundo Tomo id commōſtrare laborauimus, fac tu eius tantus admirator, opere ad hoc dicato, quę nā ſint Ariſtotelici ingenij propria dogmata

quorum ipse scilicet fuerit excogitator ostende. Et si iudicã tor, Aristoteles tam acer fuit, vt neminem vti asseris habuerit parem, sua ne, an aliena iudicauit? Si dicas sua, at ostendas, quæ ea sua sint, & ei palmam hãc cedamus. Si aliena aias, perperam ea iudicasse, & in alium sensum detorta, quam sui authores intenderit, est iam a nobis tertio Tomo demonstratũ. *Quæ doctrina subtilius examinata, & multorum incredibili acumine oppugnata, minus conuelli, & deijci de dignitate potuit?* Subnectit Theodorus. Qui posteaquã historicotatũ se esse profitetur, examinatores istos, multos nobis ostendat, & oppugnatores. Nam si Theologos nostros veteres, catholicæ nostrę fidei columina, quos modo, recentiores isti planos vocitant, eò quod nõ sint, ad normam scholasticorum argumẽtosi & Eristici, Græcos inquam, & Latinos excipiat, Iustinum, Origenem, Cyrillum, Theodoretum, Basilium, Gregorios duos, Augustinum, Hieronymum, & huiusmodi alios, paucos admodum oppugnatores reperiat, prętter Galenum, Plotinum, atq; Proclum, & recentiorum, minoris nominis, pauculos quosdam. Sanè si Theodorus hic non fateatur, Aristotelem a Theologis nostris & oppugnatum, & expugnatum, & de sede deiectum, iam id forte non fuerit de fide orthodoxa recte sentire. In quod peccatum, non arbitror eum lapsum, nec optem labi. In ijs vero, quibus eum Galenus oppugnauit, & Plotinus, & Proclus, Medici, & Platonici credunt omnes, etiam expugnasse, & de ijs sedibus eiecisse. Quod si vos Peripatetici non cõceditis, nec fatemini, nihil mirum, pugnax enim, & contentiosum, & cauillosum, hominum genus estis, & qui vos inter uos ipsos, de quauis vel minima recula, vel verbulo, discordes, incessanter depugnatis, ac etiam iurgatis, & indesinens bellũ cietis. Idq; euenit (modestos non admodum sanè multos, qui & se aliquid nescire posse credunt, & alios aliquid scire posse concedunt, excipio) quia fastosum, & inflatum, & omnia sibi, quæ in terra, quæ in cœlo sunt, arrogans genus estis, vt qui, ne dũ eos qui Aristotelem non admirantur, nihil prorsus scire posse putatis, sed inter vos ipsos, nemo sit, vel minimus de plebe, qui vel maximo de vestro grege senatore, ne latum quidẽ vnguem concedat. Si Aritosteles in Gymnasiorum sedibus sedet pro tribunali, eorum Gymnasiorum veteres leges, & instituta in causa sunt, nõ autem Aristotelicę doctrinę, vel ma-

gnitudo, vel copia, vel certitudo. In qua, iam, præ veſtris quæſtionibus infinitis, & perpetuis contentionibus ac rixis, nihil certi aut firmi ſtatui poteſt. In qua, tam paucis libris, qui in Academiis ex earum lege præleguntur, logici ſcilicet ordinis, aliquorum partes non integræ, ac Metaphyſici, & Phyſici, de cęlo, de generatione, de meteoris, ac de anima, aliquot vti vocatis textus, nulla Philoſophię copia, nulla reſolutio certa apparent. Ex quibus tam pauculis ac tanta eorum, ac perpetua dubietate, & contentione, & etiam in vtramq; partem diſputatione, ecquid magni, ecquid certi ac ſcientifici ſcire poteſtis? Quando ne eos quidem, quorum pauculas particulas, multorum annorum circuitu in ſcholis publicè declamatis, totos perlegerint ij qui per triginta aut amplius annis doctores aliorum ſunt conſtituti. Mutate ſtatuta gymnaſiorum, de ſedibus ac dignitate deijciemini. Statutorum ergo id beneficium eſt, non Ariſtotelicæ doctrinæ, quòd regnatis. At hæc, aietis, tam præclara eſt, vt nunquam à quoquam deijciatur. Forte id verum fuerit, ac forte falſum, quando de futuris contingentibus, vti ſoletis ex magiſtro dicere nulla eſt certa ueritas. At certe, ſub Paulo IIII. Pont. Max. vos prope eiectos vidimus. Sed regnate, quouſq; vobis, vel liceat, vel libeat. Nos vero homunculos, ſinite viuere, ſinite ſpirare, ſinite communi hac aura frui, permittite in philoſophia aliquid ſentire, quod Ariſtotelicum non ſit; Non nos deſpicite, non nos iurgijs laceſsite, non calumniis onerate. Nō nobis iraſcimini, quod eadem quæ vos, non ſuſpicimus, aut ſuſcipimus; permittite vt Platonici eſſe poſsimus, ſi velimus, Plotini, & Procli, & Damaſcij, in philoſophia amici magis, quàm veſtrorum procerum Auen Rois, Dunſi, Burlei, Ianduni, Tatareti, & talium in philoſophia quisquiliarum. Permittite nos, ex ingeniolo etiam noſtro, exiguo illo quidem, attamen libero, aliquid commentari, & naturali ingeniorum iure, & libertate vti; ne in nos tyrannidem exerceatis, ne in veſtra vincula, ne in cimerias veſtrarum contentionum, & incertitudinum tenebras conijciatis. Sed reliqua eius epiſtolæ proſequamur. Subnectit hæc verba Ariſtotelicus hic admirator.

Vnum Ariſtotelem tota ſemper præ reliquis admirata eſt antiquitas.

An vero, contra hiſtorias, clare & aperte traditas,

mentire, non est impudentia?

Tota hæc antiquitas, quæ nam est historicotate? An ea quæ CCCC. ab hinc circiter annis fluxa, ad nos est? An vero antiquior ea est, quæ ab Aristotelis natiuitate usq; ad Mauritij Imperatoris, & Mahometi tẽpora per MXX. annos defluxit? In quibus per Saracenorum, Gothorum, aliorumq; Barbarorum illatas in Imperium Rom. calamitates, studia ferè omnia literarum pessum ierunt? Si de hac antiquitate, & tempo pore priore, & annorum numero antiquiore, historiæ peritissimus hic Angelutius intelligit, non est recte eam metitus. Nam dum Aristoteles ipse viueret, fuerunt multi sapientiæ studiosi, qui & Platonem, & Speusippum, & Xenocratem, & Diogenem, & Aristippum sunt magis quàm Aristotelem admirati. Quorum discipulos si colligas longe maiore numero Aristotelicos superabis. Non est ergo verum, a tota antiquitate solum Aristotelem in admiratione habitum. Paulo vero ab eius obitu, & Zeno exortus est, & Epicurus, & Pirrhon, & Arcesilaus, qui suos, & illos quidem magno numero sectatores singuli sunt nacti, neglectis, Aristotelis, tum auditoribus, tum libris. Quin imò a discipulis met suis Aristoteles desijt in admiratione haberi: quandoquidem Theophrastus, ei prę cunctis alijs charissimus, & Eudemi duo, & Phanias, & Dicearchus, & Aristoxenus, & Clitarchus, & consanguineus Aristotelis Hipparchus, alia atq;, alia dogmata, in philosophiam inuexerunt. Quam rem totam clare iam ostendimus, & Angelutius forte legit, aut præ nimia in me iracundia, vel nimio in se fastu, in alios fastidio, legere est dedignatus. Sed & ij qui in Lyceo Aristoteli sucesserunt Theophrastus, & auditor eius Lycon, & huius Strato physicus, & pręter hos Demetrius Phalereus, alias res, suo ingenio forsitan inuentas, sunt philosophati. Quo ergo modo Aristotelem solũ sunt admirati si dogmata eius respuerunt, & abnegarunt? propria excogitarunt? Quia scilicet non seruili ingenio, vti Angelutius, & superioris seculi Latini, & Barbari Peripatetici, sed libero, & ingenuo, in philosophiæ campum descenderunt. Post quos, quis nam fuit ille, a Nelei morte Aristotelis admirator, quando scripta, & libri omnes Aristotelis per CCLX. & amplius annos, in tenebris, ac spilæis latentes, a nemine sunt conspecti? Quo toto tempore, sectę, Platonica,

Epicurea, Zenonia, Cynica, Cyrenaica, magna gloria floruerunt, multosq; habuerunt admiratores, dum tacita, & ignota Aristotelica, vel omnino silebat, vel nullo gloriæ nomine, & obscure, Athenis tantummodo strepitare vix audiebatur. Quo autem tempore, Andronici Rhodij cura, libri eius in lucem sunt prolati, sanè sectæ aliæ, quas diximus, nequaquàm desierunt, sed eadem, & maiore etiam Platonica, per Ammonium Saccum, Plotinum, & alios innumeros, vsq; ad philosophiæ totius, sub Mauritio atq; Heraclio internetionem, perdurauerunt. Quo, a publicatis Aristotelis libris, annorum plusquam D C C. cursu, admodum quinq; viri, qui sincerè Aristotelici essent, sunt nominati, Andronicus, Alexander Aegæus. Adrastus, Aspasius, & Alexãder Aphrodisieus. Namque Herminus, & Themistius, & Porphyrius, & Iamblichus, & Ammonius, & Philoponus, & Simplicius, & Olimpiodorus, qui Aristotelis aliquot libros, exposuerunt, maiore & parte, & affectu Platonici fuere, sicuti alij quidam circa Augusti tempora, Stoici, & alij qui omnium sectaturum coniunxerant philosophiam. Quæ res, libris x. & xj. Discussionum prioris Tomi est a nobis ostensa. Sed qui Platonis libros exposuerunt, longe fuerunt plures. Quos enumerare, admiratori isti, qui ne nomen eorum audijt, libet. Fuerunt autem hi. Crãtor omninum primus, Eratosthenes, Posidonius, Philonides, Aristander, Taurus, Porphyrius, Iamblichus, Aristocles, Ptolemeus cognomento Platonicus, Dercyllides, Atticus, Amelius, Origenes, Lõginus, Numenius, Theon Platonicus, Theõ smyrnęus, Domninus, Albinus, Seuerus, Arpocration, Theodorus Asineus, Plutarchus Cheroneus, Plutarchus alter, cognomento Nestorij, Gaius Platonicus, Xenarchus, Democritus iunior, Proclus antiquior, Malotes, Theodorus Atheniẽsis, Antoninus, Ammonius, Adrastus. Proclus Lycius, & pater eius. Aristocles Rhodius, Menexius, Panætius, Syrianus. Qui omnes cum Plotino, a Proclo Lycio, comentarijs suis in Timæum passim adducuntur. Pręter quos, adhuc extant commentaria quædam Hermiæ in Phædrum, & Olympiodori in Phędonem, in Philebum, & in Gorgiam, & a b eo citati sunt Damascius, Priscianus Lydus, & Paterius. Et ex Latinis Chalcidius, cuius commentaria in Phædonem citat Cusanus, & adhuc extant eius fragmenta quædam in Timęũ.

Fuere & alij pręterea multi, quorum vel vitam, vel mentionē Eunapius fecit, & cuius libri extāt, Maximus Tyrius, & ante hosce omnes Philo Iudęus, & Dionysius Areopagita, & post hosce multos licet colligere, inter Christianos etiam, Dydimus, & Anatolius, & Synesius, & alij de schola Alexandrina. Qui cum longe plures, quam quinq; illi Aristotelici sint, testimonio sunt, non solum Aristotelem, antiquitati fuisse admirationi, vt admirator hic tradit, sed Platonem multo magis in honore habitum, posteaquàm eius libri numquàm interierunt, nec e manibus magnorum virorum exciderunt. Et eius sectæ viri, continuatis temporibus ab eius obitu, vsque ad DCIII. Christi annum, quo omnis philosophia ab Saracenis interijt, perseuerauit. Et prius etiam resurrexit quam Aristotelica, Constantinopoli quidem circa annum 937. Domini, sub Michaele Theophili. Et ab hinc vsque ad annum 1453. quo ea vrbs à Turcis est capta, annis 516. perdurauit. Et inter Arabas ante Auen Rois floruit, quod Algazelis, & Auensena scripta testantur, & Auen Rois ipsius, qui Platonis Rempublicam in compendium redegit. Aristotelica autem, non nisi ab eo in lucem est prolata circa Christi annos 1200. Quorum annorum seriem si in vnum redigamus, dicemus Platonicos libros, atq; adeo eius sectam, ab Olimpiade 108. vsq; ad annum Christi 603. per annos 948. sine vlla interruptione continuato cursu, floruisse. Iacuisse autem ab anno 603. vsque ad annum 937. per annos scilicet 334. Et postquàm renata est, vsq; ad captam Constantinopolim per alios 647. annos in flore fuit. Aristotelica autem priore morbo 260. annis iacuit, posteriore vero 597. Qui anni omnes simul iuncti 887. annorum numerum adimplent. Quo ergo modo audet admirator hic asserere, toti antiquitati vnum Aristotelem fuisse admirationi, cum omnes Platonis, Diogenis, Zenonis, Epicuri, Aristippi, Pirrhonis sectę, vsq; ad earum omnium interitum, longiore quàm Aristotelica, tempore vixerunt? Quarum si reliquæ, postea non reuixerint, Platonica certe, & ante renata est, & æque cum Aristotelica, vsq; ad hāc diem perdurat; non quidem in publicis Academijs, vbi Aristotelicæ ob scholasticas cōtentiones, ob medicinę studium opera datur, sed in priuatis sapientiorum ædibus ac cubiculis; cui incubunt, non qui clamoribus vulgi in se admirationem

nem excitare contendunt; sed qui solidè philosophari ac sapere cupiunt. Sed quid huic homini faciamus, qui historias nullas per se callet; & a me allatas (ob odium scilicet acre quod Peripateticus abnuo esse) nec legere vult nec intelligere, vti mendacia magnifica illa sua ingerat, atque inculcet. Quod verò addit.

Eiusq; scientiam solidæ sapientię studiosi, quò altius sunt philosophati, eò ardentioribus studijs, & firmioribus coluerunt. Ex superiore historia falsitatis conuincitur. Verum & hoc ab eo interrogemus. Quæ nam sit solida sapièntia in Aristotelis scientia? Quo modo altera illa, in hac altera sita est, quando Aristoteles met ipse (quoniam Nicomachios ꝑ Aristotelicis habet) eas inter se distinguit? An vero illud (solida) pro certa, firma, & quæ dubia nulla admittat, intelligit? Si hoc significatu accipiatur, an non id falsissimum est? quando in Aristotelis scientia, nihil sit solidum, nihil firmum, nihil certum, nihil non sexcentis dubitationibus, ac quęstionibus agitatum? Ne Pyrrhonia quidem secta illa in tanto incertitudinis salo iactata est, in quanto post Auen Rois, hæc Aristotelica, & iactata fuit, & etiam nunc est, ac forte erit in posterum. In tantum contentionum ac rixarum studium Peripatetici hi exarserunt, vt tamquàm pro aris, & focis pertinacissime maxime cauillosis concertationibus depugnauerint. Quod sanè Gręci, & (vt huic placet) Hebrei, & Arabes, minime fecerunt, sed sincerius sunt in Aristotele versati. Latini nominis Barbari, soli, hoc nugosarum quæstionum pelagus concitarunt. Neque ob id aliquod scientiæ nomen, apud suos, recte philosophantes, sunt consecuti, sed sophistarum. Imò ne sophistarum quidem, quando Aristoteles tradat, Philosophum Dialeticum, & Sophisten, circa omnia entia versari: hi vero nisi in parte trium aut quatuor librorum eius, vniuersas suas exercēt altercationes, ac bella. Quod si nec philosophorum, nec dialecticorum, nec sophistarum nomine, non sunt uerè vocandi, nec Aristotelici, nec Peripatetici sunt appellandi; falsoque sunt ab eis hæc nomina concupita, & vsurpata. Quorũ talium sophisticulorum, si admirator noster, procul vestigia est secutus, quid de eo tam acutulo speremus? Qui etiam si omnes, quos legerit libros, ad vnius Aristotelis libros commodiorem, & dilucidiorem intelligētiam retulerit iam pro

comper-

comperto habet Aristotelis doctrinam, adhuc obscuram, & dubiam esse, quamuis à tot, tantisq; viris Græcis, Hebræis, Arabibus,& Latinis, vel explanata sit, vel perplexa, & fallax reddita. Qui autem hoc tam magno suo labore egerit, aut quid supta Heroas suos istos effecerit, non multo post hæc patebit. In presentia, tot ac tam magnis ac tam cleris in eius epistola mendacijs finis imponatur.

APOLOGIAE
PARS SECVNDA.



D libros Metaphysicos iam accedamus. Quos ait Nicolaum Damascenum (quod tamen ex me dedicit) ordine interturbato, confusoq; aut saltem obscuro congestos simul fuisse, pronunciasse. Plutarchumq; non absimilem prorsus de ijs sententiam protulisse; dixisseque ad doctrinam, ac disciplinam studiosis nihil conferre, omnique carere utilitate.

Sanè huiusce viri illi duo, sententiæ fuere. Angelutius vero, qui & hisce & Aristotele etiam ipso, plus sibi sapere videtur, hosce uiros, & audaciæ, & in intelligendo tarditatis incusat. Dij boni, quales viros, qualis homunculus? Sed vt est in veteri prouerbio. sus Mineruas. Idq; quoniam admiratio, nō solum ex ignorantia procedit, verum etiam ignorantiam gignit. Dum namq; Aristotelem vnum (cuius tamen nec corrigias calciamentotum attingit) admiratur, reliquos uero authores magnos spernit, ac despicit, rerum multarum ac magnarum ignorantione obuoluitur. Si libuit admiratori huic, ideo Aristotelem magnifacere, quòd Philippus Macedoniæ Rex eum magnifecerit, cur eum admirari etiam non desijt cum Alexandro, rege maiore multo? Si Regis illius authoritate Angelutius commotus (vt ita dixerim) Peripateticatur, cur nō maximi Regis authoritate, Augusti, metaphysicari non desinit, nec non Traiani Augusto non minoris? Quorum ille Nicolaum Damascenum in magna habuit existimatione, & magnopere eum adamauit. Quod si aliunde nescit

angelutius eruere, ex libris noſtris petat. Neque enim ibi non grammatice, non clarè loquimur. Plutarchum verò Traianus, Romanorum Imperatorum, & bello & probitate maximus, non ſolum adamauit, ſed ſæpe etiam ſecum in Rheda vexit, & ad conſulatus dignitatem euexit, honore ſcilicet lóge maiore, quàm Macedo Philippus, ſuum Ariſtotelem proſecutus non eſt. Sed quamquam ratio hęc, ratio ſit aliqua, non tamen ratio eſt potiſsima, qua ingenia philoſophica perpendantur. Philoſophica inquàm verè, non ſeruilia illa Theodoria ingeniola, ſed libera Damaſcenica, Chæronicaq;. Sanè ſi quis, ſine admiratione, hoc eſt ſine ignoratione, illius & matre, & filia, Nicolaica ſcripta Plutarchicaq; perpenderit, non minora, non viliora Ariſtotelicis agnoſcat. Libri quidem illius vniuerſi, quod & Ariſtotelicis multis contigit, temporum tempeſtate, naufragium paſſi perierunt. At nomina ſaltem quorũdam adhuc ſuperſunt, ex quibus magnitudo eius ingenij perſpiciatur in ſole non caligantibus. Scripſiſſe enim eum collegimus iam, libros hiſtorię catholicæ, hoc eſt omniũ gentium vniuerſi orbis 144. & Polybium, & Strabonem, & Poſidorium, & Diodorum, & Pompeium Trogum, & Dionyſium Halicarnaſſeum, & Dionem Caſsium, & reliquos, omnes numero librorum tranſgreſſus eſt, & T. Liuium ipſum. Qui eius exemplum xiiij. decadibus ſecutus, non tamen eũ, æquauit nec librorum numero, nec hiſtoriæ varietate. Si ergo in vnico argumento, Dionyſius, Liuius, tanti fuere, ſi Diodorus, ſi Trogus tanti in vario, quantus nam fuerit Nicolaus, in tam vario, in tam multiplici? Et in tanto labore attamen, & in tanlo Cæſaris amore ac conſuetudine, potuit etiam de educatione Cæſaris, ac de propria, libros ſcribere? Potuit etiam Deorum philoſophicam Theologiam litteris comprendere. Quarum rerum Ariſtoteles nullam attigit. Attigit tamen Nicolaus, quod & Ariſtoteles, rerum principia, & primam philoſophiam conſcripſit, quod & Ariſtoteles fecit. Verum quod Ariſtoteles nõ fecit, philoſophiam ſpecierum omnium mundanarum, Simplicio id teſtificante, tradidit. Et prę ter hæc omnia commentaria in libros Ariſtotelis de cœlo, & de anima conſcripſit. Quæ omnia libro X. nos oſtendimus. Virum ergo tantum, qui Ariſtoteli in philoſophia par ſit; cui Ariſtoteles, & in philoſophia, & in hiſtoriam impar ſit: quem

maximus Romanorum Cæsar, ob maxima hæc eius merita, maxime coluerit, homuncio iste,in pædagogia exigua mercedula puerulorum merens, audet,audaciæ, & tarditatis ingenij accusare ? Idq; nulla ratione alia facere, quàm quod non idem, quod pædagogulus iste, est admiratus. Plutarchum ijsdem nominibus incusat, cuius libros, fatorum benignitas, etiam si non omnes, nobis conseruauit;qui nobis testimonio sint, magnitudinis ingenij illius, & moribns, & ciuilitati, & vitæ tranquilitati, beneficio ingenti. Non sunt quidem in illis A, & B, & C, tam spinosa argumentorum formandorũ: neq; demonstrationis imposſibilis ullæ uel perplexæ,vel per dificiles perplexitates. Non inutiles illæ, & superuacaneæ metaphysicales,scholasticis istis altercationibus, amicæ quęstiones,non illæ nihili, materiæ, & formæ, priuationesq;; ex quibus, præterquam tenebrosam quandam vmbratilium rerum vmbram nihil percipias prorsus,aut conficias. Sunt tamen in eius scripsis ex Chaldęorum (quos magni aliquando Auen Rois fecit) ex Aegyptiorum, ex veterum Græcorum libris,eruta & tradita, rationi, sensuiq; magis consona rerum principia, resq; natnrę ipsius,prope vniuersæ. Et eadem illa Aristotelica,& pręterea Pythagorica,& Empedoclea,& Ionicæ scholę, & Eleaticæ propemodum omnia, & pręterea Stoica,& Fpicurea,& Cynica,& Cyrenaica. Quid vero antiquitas vniuersa,& Aegyptia,& Græca,& Romana? An vero politicæ in eo,& æconomicæ,& morum omnis generis, & beatitudinis humanæ, & disputationes, & pręceptiones desunt? Nō simplici illa Aristotelica admubratione,quod virtus omnis consistat in duorum extremorum mediocritate. Sed pręter hæc addita sunt exempla, adhortationes, modi, quibus vel eos habitus,acquiramus, & secundum ea opera peragamus, & in communis vitæ degendæ vsum veniamus. Quid enim nobis profuerir, scire ex Aristotele virtutem omnem in mediocritate consistere extremorum, totasq; diesq; noctesq; id ipsum,disputationibus atq; altercationibus, scholas omnes, viasq;, vsq; ad vulgi fastidium personare, argutariq;? Si non etiam per ea doceamur, quibus modis eam ipsam mediocritatem consequamur? Qui sane modi, ac viæ, sicuti in Aristotele nullæ sunt, sic apud Piutarchum multæ ac variæ sunt. Quid vero historia illà mu l tiplex illustrium in rebelli-

ca,in re politica,in re oratoria virorum? An non inde omnis generis,& doctrina,& vitę vsus eruatur,viro non vesano? Quē virum ob tam magna eius merita Traianus,quod & antea diximus, sępe secum in Rheda vexit, & ad honores maximos euexit. Huic viro tam ingenti,puerulorum hic grammatistes, audet ingenij tarditatem obtrectare? Cur non potius suam in intelligendo barditatem causetur, ac incuset?

Verum viri illi duo, satis se, superque,si non apud insanum hūc Antoniandreistam,& Burleistam, at apud sapientes omnes auctoritate sua, tuentur,tuebunturq;. Ad illa veniamus, quæ, in me eristicus iste,est inuectus, expendamusq; quid in meis scriptis reprehenderit,ac carpserit. Multa illa quidem sunt,quę non est operæ precium vel silentio pręterire, vel ambagibus obuoluerue, clare sunt in apertum producenda, & in discussionem ex veritate reuocanda.

Ait me ex proprio ingenio, nouam sententiam deprompsisse. Sedheus,tu in eadem,naui mecum nauigas, audacter quoq; tu, operis tui titulo nouitatem tuam præcinis. Noua Theodori Angelutij sententia;mea nullam præ se fert nouitatem, eò modestior. Sed & alla nouitatis ratione inter nos longe differimus. Ego nihil sine testimoniis, tu omnia sine vllis. Ego Metaphysicorum librorum triplicem scientiam,ex ipsismet Aristotelis verbis eruo, tu tuum ignem, ex chimera a te ficta quadam,in Peripato numquam,nusquam auditam. Paucula etiam adhæc,nam postea reliqua. Si noua tua sententia est, Aristotelica non est,cur ergo pro Aristotelica eam venditas? Sin uero Aristotelica est,ea noua sanè non est. Cur ergo, in hoc libri tui titulo statim mentiris? et studiosos primis verbis decipis.Falsum etiam dicis,me ex proprio ingenio nouam sententiam deprompbsse, qui nihil quicquam in eo librorum meorum Tomo sine veterum authorum testimoniis dixerim,& dicere sim professus. Quam verò nouam sententiam edidi? An scilicet qnod libri Aristotelis Theophrasto relicti sint; ab hoc,traditi Neleo, a tineis atq; inani Apellicontis studio,librariorumq; negligentia corrupti fuerint? At hæc sententia,non noua est,o bone,sed ante mille & quadringentos amplius anno,a Stratone,seu Strabone, & Plutarcho scriptis exarata. Quorum verba, si quicquam Latine intelligis aut Græce,clarissima retulimus. Falsò ergo asseris, hanc

ſententiam quæ vetuſtiſsima ſit, eſſe nouam. At aies forte non hãc vt nouam perſequor, ſed aliam illam, quam ſcribis, eos libros ab Ariſtotele non ſatis reuiſos, nec caſtigatos emẽdandos Theophraſto reliquiſſe. An vero hoc tibi nouum ac mirum eſt? At hunc ipſum morem libros ſuos, quos ipſi emẽdare vel morte prçuenti, vel alijs de cauſis impediti, nequiſſent, vel ſocijs vel diſcipulis relinquere, antiquitus viguiſſe, Phærecydis, & Hippocratis exemplis, ante Ariſtotelem; & poſt eum de ſchola ſua, Lyconis demonſtrauimus. Quid verò ad exempla, non ne etiam ratio te perſuadet? qua dicimus, Ariſtotelem, libros aliquos ſuos, ſponte in publicum emiſiſſe, veluti eos ſaltem, de quibus Alexander cum eo per epiſtolem, tibi non ignotam, eſt conqueſtus. Alios vero cur nõ emiſerit, cauſam tu probabiliorem afferas, quam quod non ſatis a ſe caſtigati eſſent. Hoc enim quotidie noſtris etiam temporibus euenire ſolere videmus. Sanè vir, ſi quis alius, gloriæ cupidiſsimus, qua certe dum vitam viuimus maxime fruimur, & frui cupimus, ſi ſatis ſibi ſui libri placuiſſent, cur nõ emiſit, nemine id vetante, aut vetare cupiente? quando eos, de quibus Alexander inſtructus fuerat, & vetare poterat, illo neſcio, & inuito quoq;, in vulgus ediderit? vel ergo, quos ſcripſerat iam libros, inuulgare oportuit, vel emendandos magno diſcipulo, ſibiq; chariſsimo, relinquere, vel igni comburere, ſeu in Chalcidicum Euripum illum, quo ſe met ipſum, vt aliqui autumant coniecit, ſecum conijcere. Hoc non placuit, prius noluit, medium ergo relinquitur, vt caſtigãdos legauerit. Vel cauſam aliam, nouarum iſte excogitator ſentẽtiarum, meliorem ac probabilem magis, prodat. Neq; enim in obſcuro eſt, Andronici, & Nicolai tempore, plurimis eos erroribus ſcatuiſſe, & inordinate poſitos fuiſſe. Taleſq; ac ẽt peiores multo, & temporum iniuria, & librariorum incuria ad nos perueniſſe. Niſi tu, non ex ingenio tuo, ſed ex hiſtoria, ex veterum traditione verius ac apertius oſtendas.

Prçterea, puto ego quidem, librum 1.2.10. 11. 12. 13. ad ſapientiam, quæ vti Ariſtoteles manifeſto vult, eſt de primis principijs, & primis cauſis, in tractationem ab eo propoſitam pertinere. Nullam autem ſcientiam de intelligentijs, vt tu mihi falſo adſcribis, ijs contineri dico. Neque enim in Ariſtotele intelligentias vllas agnoſco & nullas (quod tibi tuique ſimilibus

milibus Peripateticis, nouius videatur) tota ſua philoſophia intelligentias contineri aſſero. Auen Roisque peſsime omnium eas hoc nomine nuncupaſſe, peſsimeq; eum, ſcholaſticos iſtos tuos eſſe ſecutos. Neq; enim Ariſtoteles vllarum intelligentiarum, eo ſignificatu, quo a rudibus tui magiſtris accipiuntur, vllo in loco, vllam fecit mentionem. Intelligentia eſt noeſis, intellectus ſcilicet actio, atq; operatio. Quindecies quidem Ariſtoteles libro XI. Intelligentię noeſeos, nomine vtitur, dum de intellectu loquitur, at ſemper pro intellectus operatione, hoc eſt intellectione ſumit. At ſi neſcis, eſſentia intellectus, ab eius actione ſanè differt. Quæ ergo ſunt iſtę veſtræ intelligentiæ non Ariſtotelicæ? Ariſtotelica intelligentia, eſt primę cauſę, & Dei intellectio, pręter quam non ſunt apud eum, toto eo libro aliæ vllę, neque intellectus alij, quàm primus ille, quem Deum, & primam cauſam, & primã ſubſtantiam appellat, & pręter hunc vnum, alij intellectus nulli. *De quo ait quiedm. Itaq; idem intellectus, & intelligibile quia ſe ipſum intelligit.* At nuſquam dixit, intellectum idem eſſe cũ intelligentia ſeu intellectione. Quod iterum tibi ac tuis nouum videatur. Imò verò in ſecundis de intellectu dubijs, clare aſſerit. *Non enim eſt id, quod eſt ſua eſſentia, intelligentia.* Quę ſententia longe abeſt, ab ea quam, tot ſcholis, tam audenter Peripatus hic noſtràs declamat, in diuinis idem eſſe intellectum, intelligibile, & intellectionem. Et' multo minus eſt Ariſtotelica alia illa, de intelligentijs, hoc eſt ſubſtantiis planetarum orbes mouentibus. Quas quidem, dum de eis loquitur, numquam intelligentiarum, numquam etiam intellectus vocat, ſed ſubſtantias quinquies, ſemel principia, archàs, 'neq; aliter ſe rem hanc, apud Ariſtotelem habere, nec tua acuties, nec vniuerſa ſcholaticorum ſchola comperietis. Sed aietis, eruitur id ex Ariſtotelis doctrina. Aio ego, nec excauatur quidem, niſi multis ignorãtiæ vi, ac machinis temeritatis. Quod ſi Ariſtoteli, tam venerabili veſtro magiſtro imponitis, aliis quoq; fucum facere, ſperatis, quod euenit diſcipulis, per ruditatem, & teneram ætatem nimium credulis. Mihi certe dũ vixerò, neq; tu neque tui ſimilis vllus, talem fucum facietis. Quid ergo, mihi affingis, quod nec dixi, nec dicere, ſomniaui? Non inquam, dixi libris illis ſcientiam de intelligentiis contineri. Idq; duplici ratione non dixi. Ea ſcilicet quia nullæ in

læ in Ariſtotele ſunt intelligentiç, neq; vlla de eis ſcientia, & ſi ſubſtantiæ illę orbium motrices, aliquid in iis libris ſibi vendicant, paucula quędam verba in X I. tantum, non autem tôtos eos libros occupant, ſicuti hic technarum ſtructor, mihi tribuit, tot mendacia apertiſsima inculcando? Quæ vero ex libro V I I I. rurſus affers, in meo libro V. ſunt. Vis ne & in hac etiam tã nihili re mentiri? Ne ſcilicet in vlla verum dixiſſe reperiare, quando id forte obrobrio tibi ducas? Quod etiam feciſti cum poſtea præfationem Auen Rois, in librum vndecimũ, & Syriani in octauum, cum apud me, & apud eos ſint in duodecimũ ac tertium, neq; enim Syrianus vlla in octauum librum cõmentaria edidit, quod tu non uidiſti. Sed iam ad accuſationes, quas in me ingeſsit hæc ab ilice cornix, nos accingamus. Quarum prima hæc eſt.

Atq; a Franciſco exorſus, audacter pronuncio, libros Metaphyſicorum, & Ariſtotelis eſſe, & ſic ab eo appellatos, ordinatoſq; fuiſſe. Tria ſcilicet pronunciat, & audacter quidem vt ait. Quorum trium ſi prius tollatur reliqua duo ſanè corruent. Nam ſi Ariſtotelis hi libri non ſunt, fruſtra & inſcriptio ab Ariſtotele eis impoſita, & ordio inquiratur. At prius illud. An libri hi eſſent Ariſtotelis, in dubium verteramus, rationibus iis, quas tertio libro primi Tomi attulimus, nempe quòd ſint a Laertio prætermiſsi. Quod nullis locis Ariſtoteles eos appellet. Quod confuſi ſint, & rerum tractationibos, & librorum cohærentia, contra Ariſtotelis morem. Quod minus Alpha non ſit eius tractationis, ex Alexandri ac Philoponi teſtimonio. Quod duo poſtremi ex Beſſationis authoritate Ariſtotelis nõ ſunt. Quòd ab initio aliud ſit propoſitum, aliud proſecutus fuerit eorum ſcriptor, quę res non eſſet ex Ariſtotelis conſuetudine, nec methodo. Ad harum rationum nullam Angelutius reſpondit quaſi eſſent nihili. Quæ niſi ſoluerentur, fruſtraneam eius omnem operam futuram, nõ vidit. Sed aliud quid orditur, probationes ſcilicet a ſe propoſitorum. Quæ ſicuti vidimus, tria fuerant, inter ſe re ipſa diſtincta. At probationes, nequaquam in tria capita diſtinguit. Sed tria omnia ſimul, vt ſibi videtur, aggreditur probare. Ait namque.

Quod primùm colligo ex verbis ipſius met Ariſtotelis in Epiſtola ad Alexãdrum magnum a Plutarcho recitata. In quibus verbis, quid mirer, ſum equidem incertus. Neque enim literator iſtæ tam a cu-

tus, Plutarchum, de cortice, vt aiunt, nouit, neq; ab eo scriptam Alexandri Magni vitam, vnquam legit. Aut si legit, non intellexit, aut si intellexit maligne, & ei & mihi imponit, & iis omnibus qui suas hasce nouas sententias legerint. Nulla enim a Plutarcho est recitata Epistola Aristotelis ad Alexandrum. Est quidem Alexandri Epistola ad Aristotelem a Plutarcho recitata, sed altera illa nulla est apud Plutarchum, vniuersis eius libris, ne dum in Alexandro. Apponam hic quæ sunt eo loco. Et quidem Latine, quando hic tam bellus grammatistes Græce nescit.

Alexander Aristoteli S. D. Non recte fecisti, quod disciplinas acroamaticas vulgaueris. Qua enim re, aliis nos præstabimus, si sermones quibus instituti sumus, communes erunt omnibus? Ego uero mallem disciplinis circa optima, quam potentia excellere. Vale.

Quam illius ambitionem Aristoteles leniens purgat se de sermonibus illis tamquam editis, & non editis. Re vera enim tractatio metaphysica ad doctrinam, & disciplinam nihil habens vtilitatis, specimen eruditis ab initio scripta est.

Hæc omnia sunt, quę apud Plutarchum in eam rem leguntur. Quis ergo hic tam cæcus est, qui non videat, Alexandri Epistolam à Plutarcho recitari, sed Aristotelis Epistolam nullā recitari? Sed uerba quędam duo ex illa refert, hęc scilicet editis, & non editis, & quæ reliqua sequuntur iudicium esse Plutarchi de Metaphysica tractatione? Quid ergo faciamus huic tam bono ac tam audaci pronunciatori, qui Plutarchi verba pro Aristotelicis accipiat? qui Plutarchi iudicium, pro Aristotelis Epistola? Qui tam audaster Nicolai, Plutarchi, meamq; in iudicando audaciam accusas, tuam uero in probando inscitiam non cernis? Qui nostram in intelligendo tarditatem obiicis, tuam vero in cognoscendo barditatem non conspicis? Viderat quidem hic, in scholasticis subtilitatibus Parisiis enutritus, appendicem quemdam, Simplicii proemio in physicos Aristotelis libros appositum, cuius hæc sūt uerba. Plutarchus Chęroneus in uita Alexandri de editione librorum Metaphysicæ, hæc vltro, citroq; fuisse scripta meminit. Et illico putauit, Plutatchum Aristotelis Epistolam recitare. atq; adeo audacter pronunciauit, eam a Plutarcho recitari, ex eaq; collegit non minus audacter, quàm barditer tria illa pulcherrima sua posita, attamen tam cæcus fuit, vt

non cerneret, eam a Simplicio eius proemii fine, apponi in hæc uerba.

Aristoteles Alexandro salutem. Scripsisti mihi de auscultatorijs libris, quos putas in Archanis reconditos eße oportere. Scias igitur velim ipsos editos atq; non editos eße, nam ijs intelligibiles erunt qui me audierunt. In qua sanè epistola, nullam mentionem cernebas metaphysicorum. Atq; hoc ipsum quia cernebas, pro re tua nõ facere, ad Plutarchum confugisti, quem tamen non legeras. Aut si legisti, & non intellexeras, quis nam ibi loqueretur. Consonum ne tibi saltem visum est, Aristotelem tuum, tam bardo, & ipsum ingenio fuisse, vt de libris suis hoc ferret iudicium, quòd ad docendum, & ad discendum non esse vtiles? Vt hoc tam bello solamine, Alexandrum tam magnum Regem, consolaretur, vt quæ ipsum docuisset, modo diceret, nullius esse vtilitatis? Sanè in Alexandri, vel in Aristotelis Epistolis nullum est verbũ de libris Metaphysicis, sed de acroamaticis. Acroamatica autem, & Aristoteli, & ante eum alijs, & post eum aliis Philosophis fuerant, doctrinę secretiores, charioribus, ac prouectioribus discipulis per lectę, quæ varij generis esse poterant. Huic autem nomini magis est affinis, acroasis, quę physicis libris tribuitur, quàm Metaphysica, quę nullam ad id nomẽ acroamaricòn, similitudinem refert. Atque ideo proprior est ipsi rei, Simplicij interpretatio de Physica acroasi, quàm Plutarchi de metaphysicis. Quamquam & illa controuersa est, quando acroamaticæ doctrinæ varii generis esse poterant, philosophia scilicet, omnis remotior, diuinorum, & naturæ contemplationes, & dialecticæ disceptationes, vt ex Plutarcho, & Cicerone, & alijs attulimus. Neq; ergo Plutarchi sententia certa est, de Metaphysicis, neq; Simplicij de acroasi physica, de quibus neutris, nullum verbum est, in epistolis illis Alexandri, & Aristotelis. Quo ergo modo, bonus hic, & audax pronunciator, pronunciat ex illa Epistola. *Metaphysicos libros, & Aristotelis esse, & ab eo, ita appellatos atq; ordinatos fuisse? Et quomodo id se affirmat collegisse ex verbis ipsius met Aristotelis in sua ad Alexandrum epistola?* Inscitia hæc est ingens, ne vasaniam dicam maximam. Epistolam affert, a Plutarcho recitatam, quę in Plutarcho toto nulla est. Per eam epistolam ait probari, libros Metaphysicos esse Aristotelis, qui nihil tale scribit, & appellator ab eo Metaphycos, quod

nomen in ea epiſtola non eſt;ordinis vero prorſus nulla mentio. Ita tria,quę ex verbis Ariſtotelis colligebat,nulla collegit. Ex hoc tam fędo initio, quid de reliquis ſuis deſputationibus ſperandum? An vero tu, qui tam arroganter Nicolao, Plutarcho, nobiſq; in iudicando audaciam, in intelligendo tarditatē increpabas,quicquā in metaphyſicis,ingenii tui velocitate tanta, ſperas intelligere? quos ſumma obſcuritate ſcriptos eſſe autumas. *Et qui Nicolaum Damaſcenum Andronicum Rhodium,& Plutarchum Chæroneum, vis haud mirum eſſe, ſi reconditam, & abſtruſam ſummi Philoſophi doctrinam, minoris quàm par erat æſtimarunt,quoniam ijs ſeculis vixerunt, quibus diui hominis penetralia,nondum planè euoluta colluſtrataq; fuerant.* Cur non addis, neq; ab Alexandro neq; a Philopono, neq; ab Auen Rois neq; ab Antonio Andrea, ſed a me tantum poſtremis hiſce tēporibus, eſt euoluta & penitus perſpecta. Sed quo modo hic vir tam diuinus,hoc tam fœdo ingreſſu ſummi philoſophi penetralia, euoluerit, aut colluſtrauerit,poſtea perſpicietur. Modo id exſpectamus, quo modo exactam Ariſtotelis in exponendis ſcientijs methodum exponat,is qui nec verba quidem intelligit, an ſua,an alterius alicuius ſint authoris. Reliqua illis coniuncta proſequamur; atq; ita eum interrogemus an ipſe affirmare poſsit metaphyſicorum libros, viuo Ariſtotele editos quando epiſtola illa tua ad id non ſuffragatur? Et ſi tu tam cæcus es, vnde habes vt ꝓbes,eos Ariſtotelis eſſe, & viuo eo editos? Si non habes,cur nobis non credatur, ſuos,ſi quos tamen ſcripſit,ad nos non perueniſſe,& alienos pro Ariſtotelicis ſuppoſitos? quādo quos habemus,eo nomine nullis locis eos appellat? Et qnando tam luculentur probauimus nos, hunc caſum multis aliis libtis, & aliorum,& Ariſtotelis nomine circunlatis accidiſſe? Atq; vtrum, de duobus, merum magis commentum, ſit noſtrum ne,quod tot celeberrimorum hominum teſtimonijs comprobauimus? an vero tuum, quod tot, ac tam apertis falſitatibus conatus es adſtruere,& deſtruxiſti? Sed quid illud eſt,quod ſubnectis? *præterea falſum eſſe conuincitur, ex eo quod nullo alio, ad ſuam ſententiam probandam argumento Patricius vtitur, quàm horum librorum maxima obſcuritate.* Etiam hoc nobis imponis? has etiam technas ſtruis? Ad quam nam rem probandam, obſcuritatis argumento vtor ſolo? ad ordinis ne confuſionem? an ad in-

ſcriptionem? an veto ad notham horum librorum Ariſtoteli attributionem? Explica nobis hæc; maxime enim referunt, vel ad tuam, vel ad noſtram intentionem. Profectò tertio libro, non vno argumento vtimur, ut probemus, metaphyſicorum libros, an eſſent Ariſtotelis, eſſe ſuſpectos, quæ argumenta iam huc etiam contulimus. Silentium ſcilicet Diogenis, ſilentium Ariſtotelis, confuſionis chaos, librorum nullã connexionem, minoris A. excluſionem, & duorum poſtremorum, diuerſam a proproſitis proſecutionem, alienum ab Ariſtotele morem. Hic non vnum ſanè eſt argumentum. Inter hęc, obſcuritatis vnicum illud argumentum, quod tu oculatiſsimus, in tanta obſcuritate videras, nullibi eſt. Quid ergo tantopere nobis illudere, & in re ſeria ludere mentiendo delectaris? Si uero ad inſcriptionem metaphyſicorum refellendam, ais me vno obſcuritatis argumento vti, cur etiam in hoc falſum dicis? Libro enim quinto, ad hoc reprobandum arguměto vtor, non obſcuritatis, ſed nulla Ariſtotelis ſub eo nomine citatione horum librorum, & nulla tali appellatione. Propoſitione ſua de ſapientia, nominatione ſcientiæ de ente, primæ Philoſophiæ, & mox Theologiæ. A re ipſa ſumpta ſignificatione, Antephyſica & non Metaphyſica appellari debere aſſero. Quę argumenta, non vnùm ſunt, ſed ſex, inter quæ nullum eſt, obſcuritatis. Neq; verò libro octauo vbi de ordine eorum a nobis diſputatur, obſcuritatis nullius, ſed confuſionis argumento vtimur, a Nicolao animaduerſæ, & inutilitatis, a Plutarcho perſpectę. Hic enim, nullam in his libris, confuſionem, (vt confuſor hic exiſtimat falsò) incuſat, ſed inutilitatem, & de noſtro adijcimus miſcellam duarum, ſeu potius trium ſcientiarum, Scientię ſcilicet de ente, de principijs ſubſtantiarum, ac de principijs ſcientiarum. Neque vlla nos tota ea tractatione, obſcuritatem eorum librorum accuſamus, obſcuritas hæc Alexandri tui Aphrodiſiei eſt, cuius verba com. 5. in librum 12. confuſe admodum, & indiſtinctę, nullo ordine, nulla ſerie ſeruata, quę in hoc libro traduntur inducit, idq; ob nihil aliud, quam propter obſcuritatem, quam uſq; ab initio uidetur affectaſſe. Quid ergo huic homini in mentem venit, dicere, me vnico argumento vti, & eo obſcuritatis, qui multis vtar, & nullo obſcuritatis, quam etiam nullibi nominem, aut in ijs libris agnoſcam.

Qui

Qui quamuis confusissimi quidem sint, non sunt tamen obscuri neq; ab Aristotele, vlla obscuriras authorum aut aliorum suorum prędicata est. Ostensum namquem iam est, verba illa (editi, & non editi) non uerè, libris hisce accommodari posse. Tot ergo, verbis tam paucis, mendacia sine rubore vllo prolata, ab hoc nouarum sententiarum excogitatore? Obscuritas ista sua, quam istis libris tribuis, quamq; a te solo nunc primum superatam iri, nobis promittis, nullam multis retro actis seculis Nicolao, atq; Plutarcho ansam dederunt, vt ille ordinem eorum improbaret, hic vero inutilitatē eis obiiceret Alexander, & confusionem cum Nicolao, & obscuritatem agnouit, & tu post eum, vt si eam superares, aliqd magnum viderere.

Duo illi viri, si non negarunt, eos libros sic fuisse ab Aristotele dispositos, appellatosq; : An ideo probarunt eos ita dispositos ab eo, & appellatos? Non enim quod quis non negat, hoc ipsum probat. Quid vero? an mirum fuerit, si dicamus. *Nicolaum, etiāsi Theophrasti libellum, metaphysices nomine appellarit,* non tamen Aristotelis hosce libros eodem nomine appellauisse? quando Auen Rois testis sit lib. 8. com. 44. suos met libros hac de re Nicolaum appellauisse primam philosophiam. Nam cum sæpe alias vt lib. 7. com. 23. & alibi librum Nicolai, & eius abbreuiationem, vt vocat, in hos libros nominet, loco iam dicto habet verba hæc.

Sicuti dicit Nicolaus Damascenus in sua prima philosophia. Neque in proemio XII. dum Nicolai recenset sententiam, vlla sit metaphysicorum mentio. Plutarchus autem qui Nicolao annis circiter centū, posterior eā inscriptionē ab aliquoi impositā, & iam receptam', quid mirū si fuerit secutus? ne d friuolum & grammaticale aliud longe afes videretur extra rem incessere. Neque enim ei res hęc tanti visa est, quantum huic nono & modo prodeunti philosophastro. *Neq; libitum ei vel Nicolao, culpam in alium reijcere, qui & inscriptionem nouam ijs apposuisset (quæ forsan Nicolai ętate non dum apparuerat) aut eorum ordinem per imperitiam immutaße, quia pro comperto habuit Nicolaus eam confusionem Aristotelicam eße, non alterius cuiusquam.* Neque etiam recte arguitur, quoniam non in alium quempiam culpam reiecerint, qui per imperitiam eorum ordinem immutasset, hos libros Arist esse. Quia nec Plutarchus ordinem reprehē-

dit, & si reprehendisset, inde id sequeretur. Sed quales sub eius nomine circunferebantur, tales ausi sunt coarguere: quamuis Peripateticę sectæ, principis, doctrinæ summis studijs fauerent. Sed quo modo fauerunt ei doctrinę, quam & coarguerunt? Et alienas quasdam ab ea, & proprias sunt secuti, & scriptis docuerunt? Sed in omnibus similem semper sibi Angelutius se prodit. Qui etiam Simplicium, & Themistium afferat, idem ad Alexandrum Aristotelis responsum referre. De Simplicio quidem verum est, sed de Themistio falsissimum. Namq; paraphasis eius tum in Græco contextu, tum in Hermolai versione eo loco incipit, vbi hęc sunt verba. *Est totius operis propositum, naturæ earumq; rerum scientiam, &c.* Et quę hæc præcedunt multa, est Simplicij proœmium ab Hermolao eodem, & paraphrasi sua expositum, & eo loco positũ veluti commune quoddam illius operis argumentum. Esse que Simplicij, non Themistij, apparet quia hic nullas pręfationes, libris tuis apposuit; ille omnibus præfixit. Tũ quia in Gręco Simplicij exemplari est, in Themistij non est, & pręterea quia Themistius initio Paraphraseos in libros de Cœlo, ait, Aristoteli intentionem esse tractare de mundo, in eo verò proœmio dicitur, eum tractare de quinta substantia, & quatuor elementis. Quę descrepantia clare ostendit illud proœmium Themistij non esse, esse autem Simplicii ostẽdit, concordia tum sententiæ tum etiam verborum quę sunt eadem, tum in hoc, tũ etiam in Simplicij proœmio in libros de cœlo. Idem Aristotelis responsum referri, quod recitabatur a Plutatcho, sollicitusq; salutis studiosorum cautus admonuit, ne quem Themistij, & Simplicij authoritas moueret. Ridiculum sanè hominem, & præ nimia doctrina, minimarum harum rerum semper ignarum. *Atque inde satius esse infert, & ęquius putat iudicare, de vtrisq; metaphysicis nampe, & physicis) palam editis, Alexandrum fuiße conquestum, quam aut Plutarchum, aut Themistium, & Simplicium mentitos fuisse.* Idque eodem iudicio iudicat, quando Themistius de neutris quicquam dixerit, nec Plutarchus de physicis, sicuti neq; Simplicius de vtrisq;. Quod vero contra nos addit.

Agit autem more suo Patricius, pro legeq; & ratione proprium arbitrium sectatur. Cum Alexandri quęrelam ad editionem libelli de mundo refert.

Ago sane meo more, vt nihil sine ratione, nihil sine veterum autho-

authorum testimonio ausim dicere. Sine lege vero in philosophia omnia dicere ausim. Nullæ enim mihi sunt in philosophia leges, nullius in philosophia seruus sum, in nullius verba iuraui magistri, arbitrio meo, quod natura, Deusq; Opt. Maximus, mihi concesserunt, & eo quidem libero satis, vtor. Hoc, quid ad te Angeluti? Nempe vides, me hominem tali arbitrio præditum, non posse te admirari, quando nec Aristotelem tuum, nec Platonem meum semper admirer. Hic fons est irarum tuarum, forteq; aliorum non paucorum, qui scholastici dum sunt, Peripateticos se esse putant, ac venditant. Sed id arbitrio vestro nos quidem permittimus, vobiscumq; benignè agimus. Permittite & vos, nos nostro arbitrio vti. Sed vtra ratio, probabilior, tua ne, dum Plutarchum, & Simplicium (nam de Themistio iam erubescis) tueris? an mea, dum meam tueor sententiam? Viri duo graues, inter se dissẽtiunt, sententia mea hanc controuersiam tollit. Plutarchus de metaphysicis eam querelam institutam asserit. Si ab eo quæramus (licet enim non seruo ingenio, a magnis etiam viri, rationes exquirere) vel a te, qui in eius dictis intelligendis, anima eius es. Qua ducti ratione, id asseritis? nullam profectò afferre queatis, quam hanc vnam. Quòd metaphysici acroamatici libri sint. Hanc, enim prætulit Plutarchus. At soli ne hi, an etiam alij? si rogemus, respondebit ille quidem (de te iam nescio) non soli. Quia paulo ante scripserit, rit, Alexandrum. *Parcicipem ab Aristotele factum, non ethici tantum, & politici sermonis, sed etiam reconditarum, & grauiorum disciplinarum, quas viri illi proprie acroamaticas, & epopticas vocantes in vulgus non proferebant.* Plures ergo, non hanc vnam metaphysicorum, disciplinas Alexandrum docuit Aristoteles. Ergo & alii; quàm hi libri, talem nomenclaturam sibi accomodabant. Ergo ex ipsius met Pluturchi dictis, libri etiam alii poterant esse, de quibus Alexander quærebatur. Cur ergo ex hac communi appellatione, proprie de metaphysicis intellexit? & tu cum eo? Nulla sanè euidens apparet ratio. Imò contra hanc sententiam, contraria apparet ratio valida. Nãsi æcroamatici, libri, clarioribus discipulis prelegebantur, cur metaphysicos, inter acroamaticos reponit, in quibus ad doctrinam, & ad disciplinam vtilitatis nihil autumat contineri? An vero Regi de se optime merito, seque maxime admitan-

ti, inutiles libros ediſcendos protulit? an difficillimos, adoleſcenti, multis alijs, & magnis cogitationibus occupato? An vanos, & inane tantum ſpecimem habentes eruditionis? Regi, & adoleſcenti, non dum præ ætate ad culmen diſciplinarum difficilium euecto? Sanè melior Simplicij fuit ratio, qui ſaltem cognatione nominis acroaſeos, ad acroamaticos, phyſicos libros in hanc quęrelam intulit. Sed neq; hæc eius ratio plena fuit, quando, & alij acroamatici libri fuerint, & inſcriptio hæc, acroaſis ab Ariſtotele nullibi locorum ſit citata, cum tamen multis locis eoſdem appellet libros, nomine vel de principiis, vel de natura, vel de motu. Vnde manifeſto appareat. Acroaſis, Ariſtoteli incognita fuiſſe. At liber de mundo, incertam non habet inſcriptionem, quia Alexandro ſit inſcriptus, eiq; dedicatus, & regia methodo plana, & facili ſcriptus, resq; ipſæ Regio palatui atq; vſui, ſunt accommodatiores. Ad quæ, atq; alia argumenta, quibus ad hanc ſententiam comprobandam libro VI. vſi ſumus, oportebat Angelutium non vanè reſpondiſſe. validioraq; demonſtraſſe, antequàm me diceret, pro lege ac ratione, meo more arbitrium meū ſectari. *Cui rei*, cū ei animus non ſufficeret, verſus tamē, vt aliquid audere videretur, me adorit, hoc. ſ. ſophiſtia aculeo. Quod Nicolaus, librum Theophraſti, metaphyſica nominauit. At non ſequitur, o bone argumentator, eum etiam Ariſtotelicos hoſce libros, metaphyſicos nominaſſe. Quod neq; ex Alexandri, neq; ex Auen Rois teſtimonio, nec alio vllo oſtendi poteſt. *Quod vero infert. Non igitur inſcriptio methaphyſicorum temere, & caſu inuenta, & Peripateticis philoſophis vulgatiſſima, & vſitatiſſima.* Eſto Peripateticis aliis. At non hinc oſtenditur, Ariſtotelem, hanc inſcriptionem hiſce libtis præfixiſſe, quod in tuo propoſito ſecundo erat. Eos ſic ab eo appellatos. Aliud ergo, argutiſsime, a propoſito cōcludis. Id enim moris habes in tua logica, ex ſingulari vna propoſitione, a Nicolao ita Theophraſti librum nuncupante, vniuerſalia concludis, ergo, Peripateticis philoſophis vulgariſsima, & vſitatiſsima hęc eſt nuncupatio. At neq; ipſe Nicolaus ſuos libros de hac re, ita nuncupauit, ſed vti ex Auen Rois attulimus de philoſophia prima. Neq; vt hac in re me tuear opus habeo, quod iam ex hiſtoria uerum eſſe patuit. *Theophraſti libros ſimul cum Ariſtotelicis paſſos fuiſſe eundem caſum*. Quod ſi tu non

melius

melius ostendas, ita ab Aristotele appellatos, manifesto videtur sequi, ab aliquo alio, quam ab eo, id nominis eis esse impositum. Idque si nulla ratione factum est, & nulla cum rebus disputatis cognatione, necessario sequitur, a rudi aliquo, ac gregario philosopho. An ego semper diuino? tu autem, non semper calumniaris, quando nullis testimonijs contra mea aperta testimonia vteris nullam rationem quæ sophisma putidum non sit, contra meas rationes afferas, & cum nemo te adhuc nouerit, ab omnibus appetis tibi credi. Et exprobare mihi nimis audacem libertatem nimis audax libertas tua est, nimisq; libera audacia. *Neque veto contendo, an in Theophrasti libro ita nominando locum quis habuerit, an vero Theophrastus id ei nomen imqosuerit.* Vnum illud contendo, ex Aristotelis variis horum librorum appellationibus, non videri, id eos cognominis ab Aristotele accepisse. Quod si argumentator hic bellus, id conuincat, modo ne Plutarchi illa epistola vtatur, hoc brauium sanè ferat. At si id non ostendat, feram ego, qui Aristotelis, non metaphysicorum, sed varias alias appellationes & attuli, & ad feram. Nisi autem hoc demonstret, vana omnis est eius tã laboriosa, & anxia contentio, & maligna, & veeors omnis in me maledicentia, & calumnia. Neque vero, etiam si probet probatione probatissima Alexandri Aphrodisei esse commentaria quę extant in hos libros, magis euincat, eos & Aristotelis esse, & sic ab ipso iunctos inuicem, nominatosq; fuisse. Namq; id primum est, re hactenus dubia rem aliam dubiam, probare velle Hoc autem qualis philosophi sit, magni ne an gregarij, vel potius sophisticuli cuiusdam, in propatulo est. Esto autem commentaria hæc Alexandri, nõ Aegæi, sed Aphrodisiei sunto. At dicat nobis Aphrodisieus hic tuus, qui prope annis quingentis ab Aristotelis obitu vixit, qua via quo ue modo in notitiam venerit, ab Aristotele hos libros ita nominatos? An diuinando? At diuinationem odis, itaque diuinare eum non sines. An vero per somnium, & per aliquã aspirationem? si has probes, ridebo te, atq; deridebo. Ergo testimonio aliquo vetustiorum authorum, vel auditoris alicuius Aristotelici, vel Aristotelis ipsius. At hisce omnibus testimonijs carent hęc commentaria tui Aphrodisei. Quin imò Alexander hic ipse, nullibi eos metaphysicorum nomine appellat, præter quam vno loco, sed passim sapientiæ, & primæ philoso-

Philosophiæ, & Theologiæ. Vter ergo nostrum, o bone obstinatioris mentis homo est ? Ego ne, qui omnia probem, vel testimonijs vel rationibus ex ijs testimonijs ductis? An vero, tu qui neutris horum, nihil probes? sed tantum clamas. Alexander ergo hic tuus nihil pro te facit, pro me multum facit, quo ad metaphysicorum nomen, quo nusquàm vtitur. At et pro me multum facit in altero illo capite confusionis, ac imperfetionis. Scribit enim libro XII. comm. 5. hęc uerba quæ iam attuli. *Confuse admodũ, & indistincte, nullo ordine, nulla serie seruata, quæ in hoc libro tradũtur, inducit. Idq; ob nihil aliud, q̃ ob obscuritatẽ q̃ ab initio videtur affectasse. Prętereа quæ de minore A. conscripsit, & lib. 3. com. 39. quod plurimę argumentationes quibus vtitur logicæ, & probabiles sint.* Duobus ergo hisce capitibus pronus ruis in præceps, & ex hocce met tuo Alexandro Aphrodisieo. Neque vero tertium illud, ab Aristotele eos libros fuisse ita iunctos simul, numquàm in controuersia fuit, nec apud Damascenũ, nec apud nos, & sunto ita ab Aristotele dispositi, si modo Aristotelis sunt; modo constet ex Damasceno , ex Aphrodisieo tuo, ex nobis, ex re ipsa, eos confusos esse, & nullo ordine, aut methodo quam tu probas, esse conscriptos. Multoq; maior illorum duorum, vel saltem Alexandri tui, qui expositor est appellatus, quique Aristotelis penetralia penitus indagauit, authotitas est, quam Auen Rois, ex quo sumis, eos peroptimo ordine esse scriptos. *Sed argumentatio hæc tua, tuis alijs similis prorsus est. Commentaria doctissima, in hos libros quo paßim leguntur ordine disposita sunt.* Ergo hi libri, & Aristotelis sunt; & metaphysici ab eo appellati, & eo ordine dispositi. Hoc sane argumento, nec Aristotelis eos esse, nec metaphysicos appellatos, nec etiam ab Aristotele eo ordine simul iunctos comprobasti.

Verum hæc commentaria non esse Alexandri Aphrodisiensis, Auen Rois tibi ostendet, procemio XII. libri, vbi multa ex Alexandro refert, quæ in hisce commentariis non reperiuntur, & multa quæ Syrianus. *At ais vtrumq; hoc esse falsum, & argumenta quibus probantur esse falsa.*

Sed quo modo probas primum illud: Vtrumque scilicet esse falsum? An non sunt eo loci, quæ ex Auen Rois attuli? In re clarissima, nolo fastidio legentibus esse , multa inde huc transscribendo, si dubitas, inspice, & confer vtrarumq; loca.

Sed

Sed tu præ furore tuo contraria duo proponis, neutrum agis, aut probas, tertium quiddam addis, cum ſtatim ais.

Prima illa ratiocinatione ſumpta ex Auerrois authoritate, ſe ipſum Patritius iugulat. Nam vt demus commentaria, quę extant, non eſſe Alexandri Aphrodiſiei, quis negabit (ſi Auerroi dicto ſtare velit) illum alia commentaria in eoſdem libros compoſuiſſe?

Stemus, Auen Rois dicto; quem tu tantopere amas, & quem vel non legiſti, vel non intellexiſti. Lege non XI. ſed XII. initium, hæc eius verba leges.

Dico quod non inueni, in libris huius ſcientię, niſi in hoc duodecimo libro expoſitionem Alexandri, neq; aliorum poſteriorum, & in hoc libro non niſi ſuper duas ferè partes, trium partium ipſius libri. Ergo Auen Rois dicto ſi ſtemus, non probaſti Alexandrum Aphrodiſieũ alia commentaria in eoſdem libros compoſuiſſe. Imo contrarium ſuæ aſſertioni, potius probaſti, eum alia commentaria in hoſce libros, non compoſuiſſe, præter quam in XII. At ſi dicas, Alexander quidem compoſuit, ſed ad manus Auen Rois non peruenere. Id primum de tuo ſinu dicis, nullas vel Auen Rois, vel alius cuiuſquam authoritate, vteris. Et dum ita dicis, quod intenderas non probas, ex Auen Rois dicto, Aphrodiſieum alia commentaria in eoſdem libros compoſuiſſe. In hunc modum tam vanum, argumentator hic, quæ obijcit, præterit, & quę profert, non probat, imo in eum tela quæ in me tetenderat, recidũt, tam improuide, ne dicam ſtulte hanc aduerſus me pugnam eſt aggreſſus. At ò argutule argumentator, non negauimus nos, Alexandrum Aphrodiſieũ commentaria in hos libros non edidiſſe; ſatis nobis fuit oſtẽdere, hæc quæ extant, non eſſe Alexandri Aphrodiſiei. Non ergo argumenta mea, ſed inanitas iſta tua, & furor futilis, ſunt captioſa. *Neque aſſerui, in ijs Alexandrum Aphrodiſieum, neq; ordinem, neq; appellationem improbauiſſe.* Ne mihi obijcias quęſo te, quę non dixi. Ad ea quæ dixi ſi potis es, reſponde: Ambages & diuerticula ne quæras, vt argutulus ſimul, & ſtolidus videare. *Ais, leuiſſimum meum eſſe argumentum, quod a negatione ſumatur.* At vnde ſumetur in tua logica, ſi quicquam negatum probare volueris? Nego quidem ego, hæc quæ extant commentaria Alexandri Aphrodiſiei eſſe. Tu qui affirmas eius eſſe, quo argumento id confirmas? quando negatio tibi nauſeam facit. *Ais, conſtare multa ijs comẽtarijs de eſſe, atq; adeo princi-*

pium ipsum. Sunto hæc vtraq; uera. An ideo sequitur in tua Logica, ergo Aphrodisiei Alexandri sunt? Si hæc captiosa, & vana insuper argumentatio tua non est, quæ nam alia talis fuerit? Bone Deus, quantum operæ, atq; olei Parisiis perdidisti dum tales argumentationes didicisti. *An verò, non magno (subnectis) est argumento, illa esse Alexandri Aphrodisiei, cum plurimis locis ea habeat, quę ex ipsis a Syriano recitantur?* An verò, aio ego, maiore argumento ea non sunt? quæ Alexandri Aphrodisiei cõmentarijs recitantur, & in hisce non reperiuntur? si enim Aphrodisiei essent hæc commentaria, in eis sine dubio ea reperirẽtur, quæ vir magnus, suæ ætati proximus in ijs legerat. At in his non leguntur, ergo Aphrodisiei non sunt. Ais argumentatio hæc a negatione est petita. Aio ego, multas syllogismorum species apud Aristotelem negatiuas esse. Non ergo hæc argumentatio, etiam si sit negatiua, captiose procedit, si modo de veris argumentationibus minimum quidpiam, audieris. Idq; tanto verius atq; apertius apparet, quanto, quæ Syrianus citat, in hisce commentariis nihil deesse apparet, com. scilicet 30, & 39. in librum tertium. Sed ais, quædam tamen reperiuntur. Id ego admonui; nam tu Syrianum vix de nomine nosti; *At mirum tibi est Aegeum prius dixisse, & Aphrodisieum postea eadem?* Huic non respondes quicquam argutule? Si hęc fieri non posse credis, iam non solum philosophia de te desperet, sed etiam grammatice, in qua magis es exercitatus, & quam infami stipendiolo publice profiteris. Si ergo dicto Auen Rois nulla sunt alia præterquam in librũ XII. Alexandri Aphrodisiei commentaria si in ijs, quę a Syriano, & ab Auen Rois citantur, non leguntur, si tempora nõ tulerunt, vt Sosigenes Aphrodisiei pręceptor esset. An credis inualidius, hoc solum, tribus illis argumentis fore, quod lib. 7. com. 42. se ipsum Aphrodisieum nominet? cum tria illa nullo modo negari posint, hoc autem verisimile, imò necessarium sit, illis stantibus, aflictum atq; interpositum a sciolo aliquo fuisse? Neque illa illatio tua. *Si cui vis permittatur veterum libris quibus vis pro arbitrio addere, expungere, omnes omnium libri in dubiũ reuocabuntur,* roboris quicquã habet. Quasi id nouũ iam sit, & a nobis non abunde libris 2. & 3. demõstratum, hac ipsa de causa, addendi, expungendiq; multis multorum veterum libris contigisse, vt alij pro aliis supponerentur, alij in

dubium

dubium vocarētur,& omnibus Ariſtotelis libris hoc ipſum accidiſſe? Quid ergo hic tantus admirator,tantum miratur, hoc ipſum Alexandri quoq; Aegæi commentariis contingere, vnius tantum nominis additione, potuiſſe? ab aliquo librorum tranſcriptore (vt ante Typographiam inuentam in more erat) cui Aphrodiſiei nomen auditum, Aegęi vero inauditum eſser? Vel titulo cognomen nullum præpoſitum, qualia quatuor exemplaria ſe vidiſse Geneſius affirmat, Aphrodiſiei cognomen aſcribere libuerit? Aut ergo, hoc tu ſolo argumento cede, aut tribus illis, & hiſce reſponde; quorū tuum illud ex Auen Rois dicto in te recidit. Sed ſi tibi conceſserimus, commentaria hęc, Aphrodiſiei eſse, cequid nobis erit præmi? Tibi certe nihil, quando ex eis non probas, quod putaſti. Hęc commentaria Aphrodiſiei ſunt. Ergo Metaphyſici libri, Ariſtotelis ſunt. Ergo Ariſtoteles Metaphyſicorum nomen eis impoſuit. Ecce ergo, quando tibi cedamus, num hactenus ridiculus non fuiſti argumentator? Et inanitate ipſa inanior pronunciator? *Quod uero ſubdis. Me octauo libro ex his ipſis metaphyſicorum libris, plurima loca communi Peripateticorum ab extremis vſq; temporibus conſenſu recepta, pro mea voluntate adimere. Quod faciendi poteſtatem, te neſcire, quis Deus mihi tribuerit?* At tibi quis nam Deus vel Diabolus calumniator, poteſtatem tribuit, ſemper mentiendi ac calumniandi? Ais me plurima loca ex metaphyſicis adimere. Adimo equidem, nō plurima loca, ſed integrum librum minus A. Quod ipſum, Alexander hic met ipſe tuus Aphrodiſieus ferè fecit, & Philoponus is, quem nos è Cypro eueximus, prorſus fecit, quando eum librum non Ariſtotelis, ſed Paſicratis Rhodij Eudemi fratris, & Ariſtotelis auditoris, eſſe affirmat. Hi duo viri poteſtatem hanc mihi tribuerunt. Falſum ergo eſt, librum hunc communi Peripatericorum conſenſu, ab extremis vſq; temporibus fuiſſe receptum, quando alij Peripatetici, quàm hi duo, veteres horum librorum expoſitores non memorentur, & hi duo, alter fere non recipit, alter omnino reijcit.

Falsū quoq; hoc aliud, *me plurima loca ex libris metaphyſicis adimere.* Namque ne verbum quidem ademi, neq; adimēdi, vel verbo, vel nomine toto eo libro vſus ſum. Adnotaui tantum, particulam quamdam ſuperfluam eſſe, hiſce ſanè verbis vſus.

Hanc particulam quinti libri, quæ eidem illi ſcientiæ, quę de primis ſub-

stantiis agit, considerationem entis vti ens tribuit, superfluam esse necesse est, atq; ab Apelliconte, vel Tyrannione, vel librariis inductam, credendum

Satius enim & fauorabilius Aristoteli esse putaui, si eam solam totis ijs libris particulam repertam quæ Aristotelem sibi nõ constare, ostenderet, superfluam iudicarem, vt quæ assereret scientiam quę de primis substantiis agit, eandem cum ea esse, quæ de ente vniuersalissimo est, cum has duas locis omnibus aliis, quæ ibi prolixa oratione retulimus, differre inter se clarissime doceret. Aliud autem toto eo libro nihil de ademptione dictum est. Falsum ergo est quod ais me id in more habere; falsius me plurima loca ademisse. Falsissimum communi Peripateticorum ab extremis vsq; temporibus consensu, recepta fuisse. Nam quem alium proferas ex veteribus, quàm hunc quisquis ille fuit, Alexandrum, & quem ego in lucem protuli Philoponum? At hi duo nec ipsi possunt, communem Peripateticorum consensum efficere: neq; ipsi de eo consensu attestantur quicquam. Nisi forte extrema tempora intelligas, pro eo tempore quod ab Auen Rois ad nos defluxit. In quo sanè innumeri fuerũt scholastici scriptores, quos ego neq; Aristotelicos, quia eius scripta non intellexerint; nec Peripateticos, quia à veteribus Peripateticis dissenserint fuisse concedo, & certo scio non fuisse. Tribus ergo notissimis mendacijs in tam paucis verbis aduersarius hic ausus est mentiri, potestate ea, ab ignorãtiæ, atq; arrogantiæ Deo, sibi tradita. *Ait postea. Me ad alterius capitis probationem duo assumere falsa.* Alterumque esse, non fuisse nisi vnum Sosigenem Peripateticum. *Aitq; hoc primum merum redolere commentum.* Scripsi ego quidẽ, nullũ aliũ Sosigenẽ memorari, q̃ eũ qui annũ correxit sub Iulio Cæsare. Neq; adieci, Peripateticum, poterat enim esse, ut mos eo tempore philosophãtibus fuit, alterius etiam alicuius sectæ. Neque dixi non nisi vnum fuisse, poterant enim, & multi alij fuisse, sed non memorari dixi, alium quàm illum. Cur ergo imponit hic calumniarum confector, me dixisse, quod nõ dixerim? Et quod dixi, ex Plinio, ex alia multa authorum testificatione dixi. An uero quæ in hunc modũ uerè dicuntur, mera commenta huic homini sunt. Si quæ vera sunt, mera commenta appellas, fictiones, somnia, falsæ probationes, tuæ mendaces attributiones, tot

mendacia

mendacia tua,quo nomine appellabuntur? Si hoc falſum putabas, nullum ſcilicet alium Soſigenem memorari,debebas peritisſime omnis antiquitatis,aliquem alium proferre, cuius memoria habita fuiſſet;& ſi ex vetere hiſtoria nō poteras, poteras forte,ex tuis Auerroiſtis,ex Antonio Andrea,ex acuto illo tuo Apollinari. Si neq; ex hiſce poteras, cur merum commentum ſtruis ex tuo cerebro, veluti Mineruæ fratrem Soſigenem, qui a nemine memoretur, quem admodum,ad Proclum Platonicum Lycium illum,alium quemdam Proculum ex tuo ſinu,hoc eodem libro tuo confictum, produxiſti. Ad authoritatem vero Philoponi,quam ex me ſumis,confugis: At ò bone non eam percipis,eius hæc ſunt verba. *At Alexander Philoſophi interpres, in quodam vno libro vult, Preceptorem ſuum Soſigenem fuiſſe eiuſdem opinionis.* In quibus verbis profectò non dicit Philoponus alium fuiſſe Soſigenem,huius Alexandri,hoc eſt Aphrodiſiei, preceptorem, neq; de alio vllo Soſigene,ſed de Soſigene tantum loquitur. Si ergo non de alio, ſed tantum de Soſigene,cui dubium,de Soſigene illo celebri, poſſe id dictum tantum intelligi? Neq; id certo,de Alexandro Aphrodiſieo magis,quam de Agæo poteſt intelligi, etiā ſi ille exegeres ſit appellatus,& interpres,quandoquidem, & Aegæus Ariſtotelem ſit interpretatus. Satius enim eſt commune hoc nomen duobus Alexandris,vtrique accommodare,quam Philopono attribuere,quod nequaquam dicit,& tēpora,confundere, quæ conuenire nequeunt. Ais etiam.

Quid enim ſcire ipſe potuit omnes Peripateticos, Soſigenis nomine appellatos? Tantumdem, o bone ego non potui,quàm tu potuiſti, & ſi potuiſti,prome aliquem. Si non promas, non ergo ſcire eos potuiſti,ſi non potuiſti, cur ergo mentiris te potuiſſe? At potuerunt multi Peripatetici,Soſigenis nomine appellari, potuerunt ſanè. At potuerunt etiam eo nomine non appellari. Cumq; hac in potentia,tua affirmatio, & mea negatio æquales ſint,quo priuilegio,vis tuam vincere? In pari itaque hac re ſumus, dum poſsibilitatem vterque afferimus. Sed facto ipſo,maior mea ratio eſt,quod nullus alius memoretur. Tu qui aſſeris, oſtende aut concede aſſertionem hanc tuam,nullo teſtimonio nixam, vt queamus vanā appellare. In ſecūdo ais, *Me ipſum prodere mendacem cum dico, non extitiſſe niſi duos Alexandros immemor eius quod alio loco ſcribo, Alexandrum*

quendam

quędam Damascenũ, eumque Peripateticũ extitisse cuius sint illi cōmētarij in libros Topicos et Elenchorum, qui Alexandro Aphrodiseo passim attribuuntur. Sed quęso te bone, cur libet toties mentiri, ac calumniari? Nusquã enim scripsi. *Non extitisse nisi duos Alexandros.* Neq; vnquam scripsi, Cōmētaria in Topicos, & Elenchos Alexãdri Damasceni esse; neque id scribere potui, nam quæ scribo, inteilligo, nec tui sum similis, qui quę scribis, non intelligis. Tertio. n. libro versus finem, vbi Aegęi, & Aphrodisiei prolixam satis habeo orationem, dum de cōmentariis, in Topicos loquor, in hæc uerba concludo.

Quare commentaria in Topicos, nec Aegæi, nec Aphrodisiei Alexandri opus sunt. Eiusdem tertij Alexandri, sunt Commentaria in Elenchos. Quo modo ergo audet calumniator hic me calumniari, me scripsisse, non nisi duos Alexandros extitisse? quando eodem loco, iisdemque continuatis verbis, tres agnoscam? Et Tertii huius qui posterior fuerit Aphrodiseo, & Galeno Porphyrio, & Proclo, esse cōmentaria in Topicos, & Elēchos. Quæ, numquã dixi, Alexãdri Damasceni esse. De quo, non nisi X. libro mentionem facio. Sed hic, statim ac tertii Alexandri mentionem feci, pro eo me Damascenum intelligere conclusit; eadem scilicet argumentandi peritia, qua multa superiora argumenta contexit. At non sequitur hoc ò, bone Tertius quidam Alexander commentaria in Topicos, & Elenchos confecit, ergo Alexandri Damasceni sunt. Neque ego hoc vnquã scripsi, potest. n. Damascenus Alexander esse. Et alius etiã quintus Peripateticus qui cum M. Crasso Romę vixit, hisce omnib. tempore prior. Neq; etiam potui scribere Alexandri Damasceni ea cōmentaria esse, quem scripsi Galeni, & Aphrodisiei contemporaneum fuisse. Galenumque cum eo aliquas disputationes habuisse, Athenisque Peripateticam disciplinam publicè professum, cuius forte fuerit liber dē fato, qui ab Eusebio, an Aphrodisiei esset redebatur suspectus. Quo modo ergo potui ego scribere, aut tu tã inscite intelligere, Damascenum Alexãdrum, pro tertio illo Alexandro, Topicorum, & Elēchorum explanatore? qui Porphirij, & Procli mētionē fecisset? qui viri, post Damascenum illum Alexendrum multis annis vixerũt? Quę ergo hæc tam arrogans, sycophantia tua est, vt toties mihi tribuas quæ nũquã scripserim? In quo te mendacem tantum appellare, insci

tia ſit maxima, modeſtia maxima, audacem, & temerarium. *Quę mihi aſcribis, quod non credam Philopono, cui aliorum Philoſopho rũ nomina, qui eum præceſſerunt, probabile non eſt incognita fuiße.* At iam tibi oſtendi, quo modo Philoponus eſſet intelligendus. Quod ſi ingenium tuum non capit, iam audax, & temerariũ multo maxime eſt, in affirmando, quæ non capit, & quę non intelligit, aſſerendo. Subnectis. *Concedamus hæc commentaria Alexandri Aegæi, non Aphrodiſiei eſſe, non ne validuis indc, vt pote a maiore ductum antiquitate, argumentum efficietur?* Eſtò ſanè validius, a maiore antiquitate. Verùm ad quid nam o bone, probandum?

Eandem ſententiam tota Peripateticorum ſchola deinceps ſecuta eſt, Syrianus, Themiſtius, Philoponus, Auicenna, Auerrois, D. Thomas, Beßario Cardinalis, & cum his innumeri alij, qui idem pertinacisſime ſemper mordicus, omnibus temporibus aſſeruerunt. Quid inquam, hæc eadem ſententia eſt? Quid eſt hoc, idem? quod aſſeruerunt? Præ furore quo fertur, oblitus eſt adijcere. Forte voluit addere, quod propoſuerat, nempe. Et Ariſtotelis hos libros eſſe, & eodem hoc Metaphyſicorum titulo, ab eo inſignitos fuiſſe, & ita ordinatos. Si prius illud non probetur, reliqua etiam duo corruunt. Vt autem euincatur primum illud, neceſſario prius, argumenta mea illa, quibus, ſecundo libro, in controuerſiam ſunt vocati, conuellenda tibi ſunt, & reprobanda. Ad quæ tamen nihil reſpondes, ſunt enim validiora, quàm aut ingenium, aut iudicium, aut literatura tua ferat. Attamen concedamus, & primum, & vltimum: quo modo probas tu ſecundum? Nimirum. Hoc titulo metaphyſicorũ, eos ab Ariſtotele fuiſſe inſcriptos. Afferas teſtimonia ex Aegæo, afferas ex Syriano, quem tantum de nomine ex meis libris noſti. Quem neſcis in quot libros, horum, commentaria extent. Nam aliquot dicis, & ex octauo teſtimonium adducis. Cum tamen non niſi in tertium, & duos poſtremos extent. Quæ ergo ſunt tua hæc ſomnia? quę chimęræ? Affer ex Themiſtio, hoc teſtimonium, quo probes metaphyſicorũ libros, hoc nomine ab Ariſtotele fuiſſe inſcriptos. Dũ tu hoc agis, ego ex Philopono, cuius lucubrationes ais ex Cypro exportatas (tanto in me odio incenſus es, vt nomen meum a quo exportatæ ſunt, reticeas) affero hæc uerba, quæ prima ſunt.

Meta-

Metaphysica inscripta est tractatio hæc, non secundum habitum rei, sed secundum ordinem lectionis. Inscripta est inquit, at non id ab Aristotele inquit. Imo ferè aperte ait, non ab Aristotele, dũ ait, non ex habitu rei. Quoniam Aristoteles omnes libros suos, ex re subiecta inscripsit. Quam rem ex inscriptionibus Aristotelicis, non alienis, inductione quisque colligere potest. Hæc non ex habitu rei. Ergo Aristotelis non est. Reuolue etiam omnes veteres authores, si quemquam inuenias ex ordine lectionis suos libros inscripsisse, gloria hæc tua esto. Si non inuenias, ex hac contentione cede. Falsum præterea ex Auicenna testimonium affers. Titulum enim hunc habet.

Incipit liber Auicennæ de Philosophia prima, siue scientia diuina. Et cõsequenter eam his nominibus vbiq; appellat, numquam vero, quod equidem meminerim, nomine metaphysices. Auen Rois quoq; contra te stat. Nam libro 4. comm. 3. Auicennæ hanc tractationem vocat scientiam diuinam. Et eam quam Nicolaus conscripsit, primam philosophiam lib. 8. com. 44. Quo nomine multis locis Aristotelis libros hosce appellat. Et etiam scientiam diuinam. Semel tantum totis suis in eos commentarijs metaphysices nomen vsurpat, & in sua horum librorum epitome, bis, quorum duorum, loco secundo habet hæc verba.

Et verisimile videtur, quod hæc scientia nominetur metaphysica propter ordinem eius in doctrina. Est tamen prior in eße, & ideo appellatur prima philosophia. Quibus verbis, videtur quasi damnare hoc nomẽ metaphysices, eadem ferè sententia cum ea quàm ex Philopono attulimus. Neq; magis D. Thomas suffragatur tuæ positioni, qui huic tractationi tria nomina concedit. Namq; in fine proœmij sui in hæc verba concludit.

Dicitur enim scientia diuina siue Theologia, in quantum prædictas substantias (diuinas) considerat. Metaphysica, inquantum considerat ens, & ea quæ consequuntur ipsum. Hæc enim transphysica inueniuntur in via resolutionis, sicut magis communia post minus communia. Dicitur autem prima philosophia in quantum primas rerum causas considerat. In quibus nullum verbum est, hosce libros Aristotelis esse, neq; eos ab eo ita nominatos, neq; ita dispositos fuisse. Nullã ergo tuarum propositionum D. Thomas probat. Quod neq; Beßario facit, quamuis sit Plutarchi secutus sententiam, eaque occasione, tantum metaphysicam nominat, sed trium

illorum

illorum nihil adstruit. Sex ergo authorum, quos ad tuam opinionem comprobandam citas, nemo eam probat, aut probare adnititur. Non ergo pertinacisſime ſemper, & mordicus omnibus temporibus aſſeruetunt, quod tu falſo dicis eos aſſeruiſſe. Quæ ergo eſt tua pertinacisſima audacia, qua ſemper & mordicus omnibus temporibns ac locis, & aſſertionum, & probationum tuarum mendacia tam aperta inculcas? Quas verò poſtea affers Ariſtotelis horum librorum citationes ſub nomine primæ philoſophiæ, & philoſophiæ quoq;, ſatis te conuincere poterant, vel obſtinatisſimæ mẽtis hominem, metaphyſicorum inſcriptionem, ab Ariſtotele profectam minime fuiſſe. Idq; tibi proculdubio eueniſſet, ſi philoſophus, ac veritatis fuiſſes amator. Sed quia in omnibus contentioſus, & ſophiſta, & eriſticus es, nihil mirum, ſi quod ſemel præ ſumma inſcitia, atq; arrogantia protuleris, mordicus etiam tueri velis. Nouem locos citationum de hiſce libris affers, & nullam metaphyſicorum. & tanto tamen furore fereris, vt magis eriſticus videare, ridiculus attamen euadas. Ais enim.

Eum qui putet eam appellationem ab Ariſtotele non eſſe profectam, Ariſtotelis conſuetudinem parum habet perſpectam. Cum conſtet eum libros de phyſico auditu, de cœlo, priores, & poſteriores analyticos, elenchos, de ſenſu diuerſa ab ijs quas habent appellatione, varijs locis nominauiſſe.

Argutum mehercule argumentatorem. Rem controuerſam, ac dubiam, controuerſa magis ac dubia nititur comprobare. In controuerſia eſt nomen Metaphyſices. Et ſequitur an ſit ab Ariſtotele impoſitum: aio ego. Non eſt ab ariſtotele impoſituш. rationem reddo. Quia tribus alijs nominibus ſunt hi libri nouies, & forte pluries ab ariſtotele appellati. hoc vero, numquam. angelutius autumar, eſſe ab ariſtotele impoſitum. Rationem modo reddit. Quia ariſtoteles, etiam alios libros, alij nominibus, quam nunc habent, ſæpe appellauit. Phyſica, de cœlo, de ſenſu, & alios. at hi ipſi libri, vti apud me vidiſti, ſunt in eadem controuerſia poſiti. ob has easdem varias appellationes. & hæ ipſæ appellationes ſunt controuerſę. Fuerat tibi primùm oſtendendum eos libros ariſtotelis eſſe, & ante quam hoc ipſum faceres, argumenta mea quibus in dubinm vocabantur omnia diluenda, Sed tu nec diluis contraria, nec tua probas, & pro cer-

to, & indubitato ſumis, quod maximo in dubio eſt poſitum. Erant tibi prius appellationes hæ firmandę, Ariſtotelicas eſſe demonſtrandum. deinde ex ijs veluti clarefactis, atq; ex dubijs exemptis, argumenta erant ducenda. Id autem non feciſti. quia logicem de nomine quidem notiſsimam habes, de vſu ignotiſsimam. Sed nō tibi, ob id iraſcimur qui ſciamus, te philoſophum quidem videri maxime curare; eſſe verè, curare minime. logicen non callere, ſophiſticen exercere, grammaticen profiteri. Hoc tibi, & amice quidem, conſilij damus, quando te talem, Italia non capit, Pariſios regredere: ab eo qui te talem argumentandi rationem docuit, pecuniam ſi quam expendiſti, repete. vel ſaltem ratiocinio te meliore inſtruat. Poſt enumeratas, ex me tranſctiptas, Ariſtotelis, ſuorum librorum citationes ſubinfers. *Quoties vero conſueuit Ariſtoteles libros ſuos generaliſſimis ſubappellationibus citare Exotericis, Encyclijs, & Ecdedomenis?*

Si tibi immunctæ naris homo, non placebant, quę nos ſexto libro de his libris, ex ipſomet Ariſtotele, ex Cicerone, ex Plutarcho, ex A. Gellio, ex Ammonio, ex Philopono, ex Simplicio, ex Galeno, ex Proclo, ex Clemente Alexandrino, ex Beroſo, nobilisſimis authoribus, attuleramus, vt ambiguam maxime queſtionem, de talibus libris explicaremus, debebas tu Grammatiſta meliora afferre. Si meliora nec ſcires, nec ſcire poſſes, id ſaltem ſcire licuit, quod nos luculentisſime declaraueramus. Tribus ſcilicet hiſce nominibus, libros eosdem ſignificari. eos nimirum, qui iam editi eſſent, & in vulgus prolati. Hoc ſi confutare non poteras cur ſcripſiſti, *Ariſtotelem libros ſuos, generaliſſimis ſubappellationibus citare?* Nam ſi appellatio hæc libros inuulgatos ſignificat, tales autem perpauci fuerint; quo modo hæ appellationes generalisſimæ, modo ne ſaniores mente, in hanc eandem phreneſim ab eo veluti per contagium corripiantur.



APOLO

APOLOGIAE

PARS TERTIA.



FALSA autem esse Angelutij principia ad nouam suam sententiam inducendam, falsasq; probationes eum sumpsisse, ostendere iam aggrediamur. Is postquàm præfationis loco in me inuectus esset, aliorum quorundam, vt credit ipse, non obscurorum philosophorũ opiniones de subiecto methaphysicorum librorum recitat prolixe satis. A quibus se dissentire hisce verbis profitetur.

Nos diuersam ab alijs sententiam sequimur. Ex quibus profectò cõsequi videtur, si ab alijs omnibus eius sit sententia diuersa, eã sanè nouam esse, prout in titulo libri ascriptum est. At dicimus nos, si noua est, Aristotelica non est. Si diuersa ab omnibus alijs Peripateticis est, Peripatetica non est. Peripatetica enim sunt, quæ in Peripato sunt recepta dogmata. & quę communi Peripateticorum cõsensu, sunt approbata. Audax mehercule, ac temerarium hominis ingenium, postulantis sibi magis, propter tenuissima, non dico coniecturas, sed somnia, credi; quàm antiquis philosophis, Alexandro meo, Alexandro suo, Themistio, Syriano, Philopono, Auicennæ, Auenrois, D. Thomæ, Scoto, Antonio Andreæ, acuto illi Apollinari. At aiet si ab his diuersa sit, & ob id Peripatetica non sit, Aristotelica saltem est. At aio ego. Aristoteles ea, ne somniauit quidem, quæ in Aristotele fingit ipse. Hoc autem ad hunc modum ei exponamus. suis propemodum verbis.

Duplex fuit Aristotelis librorum genus. acroamaticum, & exotericum. At triplex antea dixerat. exotericum, encyclium, & ecdedomenum. Hæc tria, vel idem & vnum sunt, vel sunt inter se diuersa. Si diuersa sunt, & his accesserit genus acroamaticum, quod nunc pro altero generum ponit, iam quatuor librorum genera erunt, & non duo, vt ait. Si tria illa, idem & vnum esse dixeris re ipsa, duo sanè erunt, & in nostram sententiam descendis, & veram esse fateris, & tuam duorum ho-

rum generum interpretationem falſam eſſe fatebere, dũ ais. *Hoc exotericum ad vulgarium hominum intelligentiam erat accommodatũ.* Audi quot hinc ſequantur abſurda. Si exoterici, & ecdedomeni idem ſunt, ecdedomeni autem erant ij, de quibus Alexander conquerebatur, phyſici nempe ex Simplicio, metaphyſici vero ex Plutarcho. ergo vtriq; hi, phyſici, & metaphyſici, ecdedomeni, & editi erant, & exoterici, quod primum eſt abſurdum. ſecundum verò, phyſici, & metaphyſici, qui exoterici erant ad vulgarium hominum intelligentiam erant accõmodati. Quod contra ea que proxime aſſeres, eſt; Tertiũ abſurdũ. Ergo exotericũ, & acroamaticũ librorũ genus, non duo, ſed vnũ ſunt. Nam Alexander de acroamaticis querebatur, & Ariſtoteles de acroamaticis reſpõdebat. & hi editi, & ecdedomeni erant, & exoterici. Ergo vnũ, & non duo librorũ genera acroamaticũ, & exotericũ ex tuis poſitis, sũt. Quartũ abſurdum. Exoterici erant ad vulgarium hominum intelligentiam accommodati, acroamaticum genus, vt ais. *Non niſi Ariſtoteli audiendo aſſuetis hominibus, in philoſophiaq; exercitatis intelligibile erat.* quod etiã Plutarchus confirmat. Ergo & exoterici Ariſtoteli audiendo aſſuetis, & acroamatici ad vulgarium hominum ingenia accommodati erant, quod eſt contra tuas expoſitiones. Hoc ergo tuum principium altius repetitum, tam bellum eſt, quàm audax illa pronunciatio, & pronunciationis probatio ex Ariſtotelis verbis collecta, in eius epiſtola, a Plutarcho recitata, fuerat. Et tot, ac tam bella ex eo abſurda conſequuntur; & belliora, & maiora etiam ſequentur. huic obſtinatiſſimæ, contra veritatem mentis hominem. Qui ne mecum, & cum veritate dicat, exotericos libros fuiſſe eos, qui editi eſſent, acroamatici vero, qui nondum editi, errores aliorũ ſequi, & ſuos inde permultos ſubtexere maluit, quam manus veritati dare. Sed audienda quæ ſubnectit acroamaticos ſcilicet tales fuiſſe, quales deſcripſit.

Quòd breues collectiones contineret, methodo traditas, quæ ab Ariſtotele in ſcholis audiuerant. Super qua re, primum hoc ex te querimus Angeluti, vnde habes, aut apud quos veteres, vel Peripateticos, vel alios Scriptores vllos iuueniſti, acroamaticos libros, breues collectiones fuiſſe eorum, quæ in ſcholis ab Ariſtotele audiuerant? Si neminem veterum in huiuſce rei teſti-

testimonium, proferas, exprobrabo tibi nimis audacē libertatem in omnibus, & in hoc præsertim diuinandi. Nā si in hoc non diuinas, profer testimoniū. Deinde ostende, eas breues collectiones, quisnam colligebat? Aristoteles ne met ipse, an vero discipuli ex voce magistri exceptas? Si discipulos dicas; iam hæ collectiones Aristotelis libri non sunt, nec exoterici, nec acroamatici. atq; ita falsum principiū tuū. *duplex fuisse Aristotelis librorum genus*. Sin vero collectiones ab Aristotele factæ sunt, ex alienis ne libris factæ sunt? an ex proprijs suis? Si ex alienis, iam ea dogmata collecta Aristotelis non sunt. Si ex suis, reddat rationem hic diuinator, cur Aristoteles cum libros integros a se scriptos haberet, iterato vano hoc labore, collectiones alias ex libris suis fecerit, & eas breues? Si diuinando itidem respondeat, Aristotelem integros libros apud se in archanis seruasse, ex eis vero breues collectiones auditoribus in scholis prælegisse, iterum interrogabo, vt nobis diuinet: vtri nam acroamatici fuerint? integri ne illi? an collectiones illæ breues? Equidem iam dixit, has collectiones esse acroamaticos. Atq; ita sequitur integros illos nō fuisse acroamaticos. Sed quæ hæc somnia sunt? aut quæ deliramenta? Ex Nizolio, puto, quem valde odisse vult videri, ea hausit. Qui omnes Aristotelis extātes libros putauit collectiones quasdam esse ab Aristotelis filio Nicomacho factas. Sed somnia, & deliramenta hæc sunt, nullis testimonijs veterum suffulta, nullis veris rationibus. Cur etiam addit; *Methodo traditas collectiones?* Quasi diceret, integros libros methodo non fuisse conscriptos. magna hac iniuria, nulla de causa, Aristotelem suum afficiens. Nec minus absurdum est quod subiungit.

Atq; libros physicos acroamaticos fuisse, tum inscriptio ipsa declarat, tum etiam modus quo citantur ab Aristotele in primo cœli cap. 6. eos enim sermones vocat. Libros non solum physicos, acroamaticos fuisse concedimus, sed multos etiam alios, ac forte omnes, qui ab eo prælecti sunt in scholis, horis matutinis, ac pomeridianis, omnis generis. & facilioris doctrinæ, & grauioris, dum prælegerentur. Eosdemque fuisse exotericos, quicūq; in vulgus essent emissi. Et hac ratione, non ex inscriptione, quæ Aristotelica nō est, vti ostēdimus physici libri acroamatici fuerunt, dum in scholis sunt ab eo discipulis prælecti.

Et ijdem vulgati poſtquàm ſunt, exoterici facti ſunt. Fuiſſe autem eos inuulgatos ex teſtimonio Eudemi eius diſcipuli conſtat, Simplicio referente, vt eſt a nobis demonſtratum. Falſa ergo eſt argumentatio ex inſcriptione. Falſa etiam ex modo quo citantur, ſermonum nomine. Ignorat enim nuuarum ſtructor hic ſententiarum, Ariſtotelem numquam, librorum nomine, vſum. Sermonum vero ſæpe, alios quoq; quàm phyſicos, ſermones vocans. Quam rem poterat facillime ex meo V. libro diſcere, ſi voluiſſet, ſed præ odio, ac furore quo in me fertur, errare turpiter maluit. Sermonum ergo appellatione, pluribus etiam alijs libris Ariſtotelis, communi, non poterat recte argui phyſicos, acroamaticos, ob eã eſſe. Addit.

Qui libri, quoniam aditum faciunt ad cognitionem totius ſcientiæ de natura.

Hoc verum quidem eſt. Falſum autem hoc aliud.

Conquerebantur aliqui, quòd nimis obſcuri eſſent, difficilesq; & inuoluti.

Sunt quidem illi difficiles, & obſcuri. At qua via, ad notitiã Angelutij peruenit, aliquos de ea obſcuritate, fuiſſe cõqueſtos? Mera ſunt hæc commenta, & diuinationes, mendacijs plurimis conſtructæ, vt viam per tot falſa principia ſibi strueret, ad ſubplantandam ſuam de cœlo infero lapſam, nouam quandam ſententiam. Aut ſi hoc non concedit, proferat, vnde hanc conqueſtionem habeat.

Anſam dedit Ariſtoteli, luculentos aliquot veluti commentarios excogitandi, quibus ea quæ in libris de natura, ſtrictius, & ſuccinte tradita fuerant, vberius, viris tamen doctis, exponerentur. Metaphyſicos ſcilicet libros, vt mox exponit.

Luculenti libri, noſti ne Angeluti, qui dicantur? ij qui lucem intelligentię noſtræ adferunt. At metaphyſici, quo modo lucem phyſicis adferent, ſi ipſi obſcuri ſunt, & confuſi magis? Vt non ſolũ Nicolaus, ſed etiam Alexãder, ſi ita vis, Aphrodiſeus, & Auen Rois tuus, ſunt cõteſtati. & ij præterea oẽs, qui eos cõmentarijs egere ſunt opinati, eosq; cõmẽtarijs illuſtrarunt, atq; effecerũt, in commentarios iſtos tuos luculentos, hoc eſt lutulentos, & obſcuros, & difficiles, alia commentaria. Angelutij ergo de luculentis iſtis commentariis ſententia, quem ſtulta ſit, ſi ipſe mente ſanus eſt, facile iudicauerit. Et præterea in vſu communi videmus paſſim, qui commentaria

taria in aliorum lucubrationes conſcribunt eadem rerum cā pita, quæ in illis ſunt pertractare. At metaphyſici non ſunt ad tales phyſicorum regulas conſormari. Multa enim quæ in phyſicis non ſunt, continent, & multa alia, quę ipſi non habēt in phyſicis ſunt. Namq; in his ſunt tractationes de natura, de caſu, de fortuna, motus, eiuſq; ſpecierum omnium explicatio, tractatio de infinito, de loco, de vacuo, de tempore, de continuo, de contiguo, & alijs iſtiusmodi. de primo motu, de primo mobili, de primo motore: eæq; nec ſtrictę, nec ſuccinctę tractationes ſunt: ſed prolixę plus nimis. eæq; nullæ ſunt in metaphyſicis. & ſi ſunt, vix vno verbo lineatæ ſunt. Qui igitur, harum rerum, & magnarum, & multarū, & obſcurarum, ſunt in Metaphyſicis luculenti commentarij? Nō ne hoc eſt, non diuinare quidem, ſed ſomniare? Cur tu, qui bellam hanc ſententiam excogitaſti, non hoc etiam luculenter commonſtraſti? Aſſerimus enim nos, & qui mente non ſunt inſani, dubitationes illas tam multas, entis, eiusq; paſſionum tractationes verboſæ ſatis, intellectus primi, primarum ſubſtantiarum, idearum, ac numerorum confutationes tam inuolutæ, atq; ardue, nihil ad explicationem eorum, quę in peyſicis ſunt, facere; & nihil inter ſe, eas habere commune. At inquies, tractatio illa de enre commentarij quem dico, vicem explet. Id quidem non multo poſt conſpicietur. Nūc verò te interrogemus, an vox hęc, metaphyſica, vt ais tu, recte Latine reddi posſit. *De ijs quæ ſunt in phyſicis?* Id tu tam clarum eſſe ais, vt nemo ſit in Græcis literis, tam parum ver ſatus, qui ignoret. At tu quidem, te in eis tam parum verſatum prodis, vt penitus, quid dicas ignores. Meta enim, vt Grammaticum te, Grammatices, aliquid doceam, apud Græcos & genitiuo caſui, & datiuo, & accuſatiuo iungitur. priore, cum, ſignificat, ſecundo etiam, & tertio vero, ad, per, poſt. Numquam vero in. præſertim cum accuſatiuo iunctum, vt tu vis. neq; vllus Grecorum vnquam, aut dixit, aut diceret, vt tu, Metaphyſica, pro in phyſicis. Si talem grammaticam puerulos tuos Taruiſinos doces, redde eis mercedulam quam exigis. Videras apud Plutarchum, apud Simplicium, Græcæ Linguæ connatos viros, titulum hunc ita ſcribi. Ta meta tà phyſica, non autem metaphyſica, ſiguificatione hac nimirum, Ea quæ poſt phyſica. Tu vero

in

in hoc etiam temerarius, & audax, vt in tuam chimeram transformares, meta physica dixisti, hoc est (in physicis) vtrumq; pessime. An vero tu, te maiorem Philopono, & Auē Rois esse existimas? qui viri, ex ordine lectionis, hanc esse inscriptionem asseruerunt, tu non probasti, vt Græcę linguæ ignorantiam maximam duobus in verbis proderes. Hæc sunt Angeluti, diuinationes, mera commenta, audaciæ, temeritates, arrogantiæ, inanitates te ipso inaniores. Quod verò subiungis.

Cum presertim vulgari modo reddita, futilis ac ridicula videatur.

Si inquam, hoc tibi videbatur futile, & ridiculum, debebas in meam sententiam pedibus venire. eam scilicet inscriptionem, tanto magis, quod futilis & ridicula esset, Aristotelicam non esse. sed vt mihi contradiceres, futiliorem, & ridiculam longe magis Aristoteli tuo imponis, & te rerum, & verborum ignarissimum ostendis.

Audiamus modo, nouam hanc suam de cœlo lapsam sententiā, quam sic inducit.

Quod si petas, quid nam illud est, quod luculentius explicandum erat in metaphysicis, quam in physicis explicatum fuerat, dico esse primum effectum formalem, quod est ipsius rei esse, quatenus tale est, non ad motum, & externas actiones, & passiones relatum, neq; ad hanc, vel illam naturæ speciem contractum.

Explica ergo nobis, luculentissime explicator, effectus iste tuus formalis primus, vel ante formam est, vel cum forma, vel post formam? Quoduis horum trium responderis, petemus a te, quæ nam ea forma sit, quam vel antecedit, vel cui iunctus est, vel quam sequitur, naturalisne, & cum materia coniuncta, vel diuina, & a materia secreta? quas duas formas solas Aristoteles cognouit: vel inter has mediam quam Iamblichus, & Simplicius ex Platonismo, in Peripatum inuexerunt animæ forma? vel cœlestis, quam Auen Rois videtur intulisse, aut saltem celebrasse. Si effectus iste tuus primus formalis, naturalem formam pręcedit, vel ei est coniunctus, non videtur posse, eius esse effectus; Nam si eius est effectus, eam sequitur necessario. & si eam sequitur, ea est posterior ipso. & forma hæc naturalis, posterior est, media, & hæc itidem posterior quàm diuina. Diuina ergo forma primum locum in formarum ordine tenet, secundū forma me-

dia, tertium forma naturalis, quartum vero effectus iste naturalis formæ. Qui est, vt ais tu, ipsius rei esse. rei scilicet naturalis. res autem naturalis composita est ex forma,& materia. Cumpositum ergo naturale ex materia,& forma, est hic tuus primus effectus formalis. At si talis est,ad motum habet relationem,& ad externas,tum actiones, tum passiones. Idq; necessario ita sequitur, vt nullis glossis, quantumuis luculētissimis,aliter possit explicari,& est ad hāc,vel illam naturæ speciem necessario contractum. At non vis tu eum ad motum referri, aut ad naturæ speciem aliquam cōtrahi. Ergo is effectus tuus primus, non erit, naturalis formę effectus. Ergo vel mediæ erit formę, vel diuinæ. An mediæ sit, videamus. Et primo cœlestis. At hæc ad motum refertur, & actionibus,est colligata, quod tu in eo non admittis. Neque animæ forma, quia ad motiones,& actiones, & species naturæ quasdam est contracta. quod tu non suscipis. Ergo diuinę formæ, effectus iste tuus est, quæ ab omni motu, ab omni passione videtur esse remota. An vero ab actione etiam, & speciebus quibusdam est semota? Si dicas semotam esse, & Aristotelis, & Peripateticorum dogmatibus repugnas, qui inter eas, quas diuinas formas, & intelligentias vocant, specificas differentias collocant, & actionem intelligendi tribuunt, & cum motrices orbium cœlestium, eas faciunt, a motu non seiungunt. Nullius ergo harum trium formarum effectus est, primus iste tuus formalis. Atq; etiam formalis non est, cum nec forma sit, nec ab vlla forma proueniat: neq; vlli rei dat esse, vel diuinæ, vel mediæ, vel naturali, vel ab hisce prouenienti. Extra ergo hasce formas, extra harum formarum effectus, est tuus iste effectus. Extra ergo entia est, vel est in materia, quæ illarū formarum, duabus subditur. At si in materia esset, in potētia tantum esset, neque adhuc effectus esset: Materialis esset,& non formalis, vti tu vis. Si vero extra entia est, iam tu deliras. Verum tu, vt magis dilucide percipiatur, declaras duobus modis. Nempe ais.

Cuius, (effectus scilicet) precise sumpti, proprietates sunt, vnum, multa, idem, diuersum, opposita, actus, potentia, & alia id genus.

Et preterea. *A principali natura quę est forma manare, dicis effectus varios, ordine quodam, nimirum, esse, essentiam, facultates, & ex-*

ternos actus, siue actiones, siue passiones, quos generali nomine, motus appellamus.

Et tandem, primum hunc ipsius formæ effectum ens nominas. Ita sanè dilucide hanc rem explicasti, optime explicator, vt dilucide perceperimus formalem scilicet istum effectum, esse id, quod ens nominatur. Sanè esto. Sed adhuc nobis explica dilucidè. An effectus hic tuus primus, sicuti alij effectus omnes, relationem habeat ad causam cuius effectus est. nempe ad formam, à qua prouenit? Si dicas relationem ad suam causam non habere, iam ne effectũ quidem eius causæ est. Neque hoc dilucidè explicasti, reticens causam, cur primus effectus, sit differens ab effectibus alijs, in eo quòd alij omnes eam relationem ad suam causam habeant, hic primus non habeat. Si vero dicas habere relarionem, inferremus nos, duo hæc esse relatiue opposita, causam, & effectum. Hunc esse, ens, ais tu, illam vero formam, a qua ens procedat. Deinde te rogabimus, vt nobis, dilucide quàm maxime explices, an forma hæc, quæ ens hoc progignit, sit & ipsa ens, vel non ens? Si dicas non ens: oportet te dilucide explicare, luculentissime omniũ quotquot fuerunt, aut sunt, aut alios erunt in annos, explicator. Quo modo Aristoteles, vetustiores philosophi omnes, Peripatus vniuersus errauerint, qui nos docuerint, ex nihilo, nihil fieri. Tu autem doceas, ex non ente, fieri ens? ex non ente inquam actu, (ne in potentiam refugias.) nam forma omnis & actu est, & actus est. & quod actu, & actus est, qua ratione, non esse, ens; nos doces? tam nouiter, & tam stolide? vt formam quam principalem naturam dicis esse, non esse affirmes. & non ens, ad ens hebere relationem? Sin vero dicat formam illam naturã principalem, cuius ens sit primus effectus, ens etiam esse. Iterum ab eo rogabimus, vt nobis lucidissime explicet, an putet duo entia prima esse? Ens effectus, & ens forma? Si nesciat hasce ambages explicare, tũ dicemus nos, Aristotelem suum nos docuisse, ens & vnum, idem esse. Et cum effectus primus formæ, ens sit, explicatoris dilucidissimi explicatione, rogamus, sicuti est primus effectus formæ, an sit etiam primum ens? an ens secundum. Si primum dicat, forma à qua ipsum prouenit, vel nõ ens erit, (atq; ita recidit in chaos, illud nihil, Angelutio cõ-

fusius

fusius,& tenebricosius) vel ens secundum erit, vel tertium, vel aliquod eorum, quæ hæc consequuntur. Atq; ita, causa posterior erit effectu,& forma posterior composito. Quod sanè dogma, noua fuerit Angelutij sententia. Sed quam, Dij faxint, solus habeat. Si vero forma,nec nihil sit,nec ens secundum, aut posterius secundo, aliquod, erit ens primũ. Ergo duo prima entia. & recidit in superius chaos, Et causa,& effectus,tempore, & natura, simul erunt. Ergo prius & simul,& posterius, idẽ erunt,nouo Angelutij acutuli istius sophisticuli dogmate. Si hæc teretismata ex Angelutiano chaos prodeunt,solus habeat. Si vero causa, ens sit aliquod, post secundum, iam ridiculosior, & stolidior euadit. Ergo si nihil horum substat, forma natura principalis,vti causa effectus primi, entis scilicet, primum ens est. effectus vero, ens secundum. Quę duo entia, vel vnum sunt, vel æquè pollent, sibi inuicem. Sed si nec vnum sunt,neque effectus ęqui pollet causæ; effectus ergo erit ens secundum, & natura, & facultate. Sed aiebat. *Eius præcise sumpti proprietates eße, vnum, multa, idem, diuersum, oppositio, actus, potentia, & alia id genus*. Hæ ergo proprietates si entis secundi sunt, effectus scilicet formalis præcise, nulla earum proprietatum, competet enti primo, formæ scilicet. Ergo forma, nec vna potest esse, nec multæ, nec identitatem habet, nec alteritatem;neque vlli rei opponitur,neq; actu, neq; actus est. Quod Aristoteles,& Peripateticorum omnes riserint. Etgo noua hæc Angelutij sententia, nec Aristotelica est, nec Peripatetica, nec sanę cuiusquam mentis. Ergo fundamenla hæc sua prima, non quidem commenta mera sunt,sed mera deliramenta. & germina deliramentorum horum, sunt deliramenta alia, quæ ad ea consequuntur,& quę ipse subnectit.

De quo ne tot longarum tractationum permistione scientia confunderetur, separatim agere voluit Aristoteles, in libris Metaphys. præter ea quæ de ipso veluti raptim in physicis tradiderat. Hoc (raptim) non ne tibi significat,quod antea, strictim,& succinctè? At hæc tria, quo modo concordant cum verbis his: *Tot longarum tractationum?* Num in eisdem physicis, de ente eodem isto tuo, & longa tractatio est habita, & stricta,& succincta, & raptim acta? Non ne, bone vir, in hoc erras? & in hoc etiam alio? De ente,quod est effectus primus formalis, vbi nam actum

est in physicis? vel longè, vel strictim? Actum quidem est in ijs, de principijs, materia, priuatione, forma; de causis per se, efficiente, & fine, de causis per accidens, fortuna, casu. de necessitare, & accidentibus communibus, motu, loco, tempore, vacuo, infinito; De ente vero isto tuo, a forma procedente, actum esse nemo Peripateticorum vnquam vel vidit, vel scripsit. Somnium ergo, & hoc est. & quæ ad hoc consequuntur, deliria mera sunt, veluti hoc est. *Quo in opere separato, de esse naturali de effectibusq; per se propriè, & immediate ab illo emanantibus, simul etiam breuemq; instituit commemorationem omniũ quæ exposuerat in physicis.* Ais in metaphysicis de esse naturali breuiter commemorasse. Hoc est somniare Angeluti. vbinam in metaphysicis commemorat, de hoc esse naturali, a forma proueniente? Repetit ille quidem non semel, tractationem de principijs, nequaquam breuem, in primo, & XII. & sæpe alibi. De quibus, si esse naturale tuum hoc, intelligis, falsum iam est breuiter commemorasse, quia prolixæ sunt ibi, de eo tractationes. Si vero hoc esse naturale, intelligis de substantia composita ex materia, & forma, & accidẽtibus illi inhærentibus, falsum est de eis in metaphysicis tractari. Neq; vero breuis commemoratio est integrorum quorundam capitum, ex physicis transcriptio. Oportebat te, nisi diuinare, vel potius delirare videri voluisses, loca sigillatim commonstrare, in quibus id, vel commemoraret breuiter, vel tractaret prolixè. probasses distinctè, quod nũc somnias confusè. Subdis.

Quòd hæc ab illis originem habeant, in eaque resoluantur, tamquam in prima principia.

Puto te velle dicere; Esse, & ens physicum, ab esse, & ente metaphysico, originem ducere, & illud in hoc, tamquã in principium, resolui. Ergo metaphysicum ens, vel esse, antecedit physicum ens, & esse. Ergo tractatio, & scientia metaphysica, prior est, quàm physica. At commentarij, posteriores sunt contextu. Itaq; metaphysici libri, qui commentarij physicorum, per te, sunt, posteriores physisis sunt. Ergo ijdem, ijsdem & priores, & posteriores per te sunt. Gusta hæc ex tuis somnijs profecta. Pręterea si ens metaphysicum, origo est, physici entis, & metaphysici libri, anteriores sunt physicis, ijs etiam anteponi debent. Cur ergo ab

omni-

omnibus Peripateticis, physici sunt antepositi? & Aristoteles ipse, fine primi physici, tractationem de forma principe ait pertinere ad primam philosophiam inque illud tempus tractandam reijcit. Si vero physicorum metaphysici commentaria sunt, recte hi, post illos, collocabuntur. Cur ergo omnes Peripatetici post physicos statim, libros de cœlo collocant? Ait Angelutius, eos errare omnes. Itaq; postulat, ob leuissima somnia sua, magis sibi credi, quam omnibus, & antiquis, & recentioribus philosophis. At hic nobis assigna locum, ordinator optime, quo sint commentarij hi metaphysici collocandi? ais etenim.

Vt simul etiam ordo innotescat, quo inuicem iuncti, & colligati sunt, cum physicis.

Ne censeamus etiam nos, quod omnes, præter te, Peripaterici censuerunt, & errarunt.

Physicorum, & metaphysicorum libris, scientias doceri inter se distinctas, totoq; cœlo disiunctas.

Et plus etiam quam toto cœlo. Cœlum enim cum naturalibus, genere non distinguitur; at corporeum, vt est physicũ ens, ab incorporeo quod est metaphysicum, toto genere separari docuit nos Aristoteles tuus. Assigna ergo nobis vbi sint collocandi, ne toto cum alijs erremus cœlo, tecum autem solo, recte sapiamus. Assignas equidem luculentissimis, vti alia, hisce verbis.

Ita enim se habent, vt posterior, sit prioris scientiæ, sapientia, de vno, & eodem genere subiecto.

Hoc quidem est assignare locum in Chao, iu quo prius, & posterius idem sunt. At tu si non in Chaos nos remittis, dic nobis, quæ nam sit prior, quæ posterior duarum harum tractationum? videtur dicere, metaphisicorum libros sapientiam esse, scientiæ physicorum, atq; ita, posterius est ens metaphysicum, de quo sapientia tractat. At in hoc idem ens metaphysicum, paulo ante, ens physicum resoluebatur, tamquàm iu prima sua principia. Est ergo, ens metaphysicum, & prius, & posterius, ente physico. huiusq; & principium, & principiatum. Hæc, Angeluti, ex ista tua sapientia posteriore prodeunt. Quæ, cum scientia illa tua priore, inquis.

Tametsi eiusdem doctrinæ, separatas partes constituant, neutra tamen integram ex se scientiam facere potest. Quid ais, bone scientiarũ

col-

colligator,& compositor? Physica scientia, & metaphysica sapientia, neutra potest, integrã ex se scientiam facere? Ergo per te, tuus Aristoteles, pessime omnium, eas distinxit in duas. seu potius in tres. In philosophiam, quatenus de ente vniuerso considerat, & in Theologiam, seu primam philosophiam, quatenus de substantijs diuinis, & primis causis tractat. & in physiologiam, quam tertiam scientiam esse, bis affirmat. Ergo bis tam turpiter, in his ipsis suis, & tuis, sapientiæ libris errauit? An vero sola ea, quæ ens, vti ens contemplatur, philosophia est, reliquę vero scientiæ, entis partem aliquam sibi resecantes, a se inuicem, separatæ quædam euadunt, vt Aristoteles, pluries affirmauit; Tu autem eo sapientior, negas? Si physica, quo ad vnum, idemque subiectum, eadem est cum metaphysica, vt tu doces, physica, vt tu itidem doces, scientia, nequaquam dici potest. quia subiectum proprium non habet. & tu tamen eam vti scientiam, a sua sapientia, pessimè distinguis, cum idem subiecto sint. Tu autem aliud nihil affers, per quod differentia inter eas constituatur. subnectis namque.

Vtrisq; ad absolutę cuiusdam perfecteq; doctrinę compositionem necessario concurrentibus.

At qua ratione vteris his vocibus (vtrisque concurrentibus) Si vnum, & idem, sunt subiecto? & de re quæ vna est, tamquã de duabus, nulla differentia per te distinctis, loqueris? & si duæ sunt, scientia, & sapientia, doce nos, quo modo, idem subiectum habeant, & quo modo differant inter se ipsas. Deinde, Physica scientia, & metaphysica sapientia, concurrentibus, ad absolutæ cuiusdam, & perfectæ doctrinæ, compositionem; quo nomine, hanc tertiam perfectam doctrinã, appellaueris tu, optime, eius compositor, & perfector? Nã Aristoteles tuus, 6. Nicomachio, vti vis, nescijt tali compositioni nomen indere; imo vero, & compositionem istam tuã, penitus ignorauit. Sed tu in eius verbis referendis, & illi & nobis, imponis, dum refers hæc.

Ita in scientijs sapiens est, qui non solum quę ex principijs sunt, cognoscit, sed etiam, de ipsis illius scientiæ principijs, exactissimam cognitionem habet.

Nam hæc longe alia, ac diuersa verba sunt ab his, quæ sunt Aristotelica.

Itaq;

Itaq; clarum, quod exactißima scientiarum fuerit ipsa sapientia. Oportet ergo sapientem, non solum, ea, quæ ex principijs sunt, cognoscece; sed etiã circa principia veracem esse. Itaq; fuerit sapientia, mens, & scientia.

Non ergo dixit Aristoteles, vt tu retulisti, ita in scientijs sapientem esse? sed sapientiam exactissimam esse sciẽtiarũ. rationemq; reddidit, quia ex mente, qua principia cognoscũtur, & ex scientia, qua ea noscuntur, quæ ex principijs sunt, composita est. Neque dixit, ex ipsa, & scientia, aliam absolutiorem. & perfectiorem doctrinam componi. Quot ergo mendacia semper, & vbiq; nobis ingeris? Et quasi, in his, ipse maxime non errasses, errorem aliorum accusas.

Error vero aliorum inde est natus, quòd scientiam, a sapientia, non bene distinguerint.

Distinxerint alij te meliores grammaticuli, dixissent, si in grãmatica errare noluissent, sed tu, susq; deq; omnia versas, & erroribus omnia imples; & tamen aliorum accusas, errores. Verum quibus modis, qua ratione tu, scientiam, & sapientiam distinguis, ne cum alijs erres?

Errarunt inquit, quia principiorum cognitionem, nouam scientiam facere putarunt.

Sane, qui hi alij sint, qui tantopere errarint, quia ipse eos non dignatur nominare, nec nobis vacat eos inquirere, ommittamus. Aristoteles certe, principiorum cognitionem per mẽtem haberi, & alibi, & eo loco ipso docuit cum inquit.

Restat, mentem esse principiorum. Ex mente autem, & scientia, sapientiam composuit, non autem ex scientia, & sapientia, aliam his perfectiorem. Erras ergo tu Angeluti, maxime dũ aliorum insectaris errores. Esto vero.

Principia, & principiata retro commeent, essentialem habeant relationem; quid inde sequitur? An sciẽtiæ, & sapientiæ distinctio, quas alij non recte distinxerint? an vero earundem vnio, & identitas, & compositio? En bellum distinctorem, qui dum putat alios non recte scientiam, & sapientiam distinxisse, ipseq;, quam rectissime distinguere se præparat, eas vnit in tertiã quandam, & componit. ita distinctio, & compositio idem sunt apud hunc nouarum sententiarum excauatorem. Cõpositio tamen ea Aristotelica ex mente, & scientia, non est, sed sua, ex scientia, & sapientia; Atq; ita hæ, dum inter sese componuntur, distinguuntur quoq;, per somnia quædam

noua

noua. Sed etiam quomodo ais. *Compertum est priores illos formæ effectus quos nomiaabam propria, esse per se, & immediata principia, cunctarum rerum, quę in natura conspiciuntur.*

Propria illa esse dixeras, vnum, multa &c. Propria quidem tua est hæc doctrina, non autem Aristotelica. Qui vnum, & multa, & id genus reliqua, non propria, non entium natura constantium, principia per se, & immediata, sed entis passiones nominauit. Rerum autem naturu constantium, ipse statuit esse, non vnum, & multa; sed materiam, priuationem, & formam. Quæ singula, si vnum sunt, non sunt tamen multa & si cuncta, multa sunt, non sunt tamen vnum. Quo ergo modo, id tibi solum compertum est, quod alijs cunctis Peripateticis, atque Aristoteli ipsi, est incompertum? Deinde narras.

Atq; illorum physicorum doctrinam, qui vniuersa ad naturam spectantia perfectè, & ad vnguem callent, sapientiam eße nominandam.

Contra Aristotelem id est, qui physiologiam, numquam sapientiam nominauit. Contra etiam Peripateticorum plurimos, qui physiologiam, ob incertitudinem, & inconstantiā, & rerum ipsarum, & earum cognitionis, icorologias nomine nominarunt, neque eam perfecte, & ad vnguem sciri posse, sunt opinati. Sed inquis.

Perspicuum esse ex ijs quæ subiungit Aristoteles, in loco citato. Constat inquit, ex ijs quę dicta sunt, sapientiam esse rerum prestantissimarum natura, scientiam, & intellectum.

Est quidem hoc ab Aristotele dictum, sed contra te est, qui sapientiam, in scientia constituebas primum, deinde ex vtrisque tertiam quandam doctrinam componebas; intellectus nullam mentionem faciebas. quem Aristoteles tamen, initium, & partem sapientiæ fecerat. Quid tum postea? Rerum natura constantium, præstantissima sunt corpora cœlestia, quæ, ob eorum præstantiam, etiam diuina sunt ab Aristotele appellata. At eorum, neque intellectus est, neque sapientia, si sapientia sit vnius, & multorum, & cæterorum, quæ tu principia appellabas quidem, non tamen ita esse demonstrabas. Et quæ de Thalete, & Anaxagora mere physicis, referebas, sapientes nempe, eos fuisse nominatos, id nō tua ratione factum est, quòd scientia, & sapientia in eodem versentut subiecto: Sed ratione ea, quam ibi Aristoteles affert,

fert. *Quia admiranda, & difficilia, & diuina eos scire homines putant, sed inutilia. Ideoq. eos esse sapientes, non autem prudentes nuncupatos.*

Sed age iam tandem scientiarum, ac sapientiarum optime distinctor, & compositor, *in apertiorem lucem ex tenebris* (tui Chaos, quæ dixisti,) *proferantur veritatisq;* (vt tu loqueris) *ex ipsis fontibus deducantur. per assersiones, quasdam, quæ futuram disputationom veluti fundent, ac stabiliorem efficiant, quarum prima,* ais tu, *hæc esto.*

Prima assertio.

Esse rerum naturalium, simpliciter consideratum, quatenus est esse, ad naturęq; constitutionem, nondum contractum est, haud quodpiam significare, quod vniuoce, & synonimos, commune sit cum rebus naturalibus, Deo, & cæteris separatis substantijs.

Quatuor, ac decem, quas vocat assertiones, veluti fundamenta, confusionis suæ babylonicę. substruit, vt demonstret cōtra Aristotelem, contraq; Peripatum vniuersum, chaos, & inanitatem nouę sententiæ suæ. Quòd metapyysica, eadem sint, quæ physica. eadem inquam subiecto, & quod ex vtrisque tertię cuiusdam perfectæ, & absolutæ fiat compositio. At homo hic statim ab hac prima strue, sibi contradicit. Nam si idem sunt, metaphysica, & physica, quomodo vtraq;, & non vna, & eadem, perfectam illam doctrinam componūt? & si vnum sunt, quo modo ex vno fit compositio, quæ non nisi duorum ad minimum est. Deinde si ambæ idem sunt, quo modo subiecta habent diuersa, altera esse naturalium rerum, altera Deum, & substantias separatas? At forte aiet: non hoc aio, subiectum scilicet physices esse, rerum naturale esse. neq; metaphysices subiectum Deum, & substantias separatas. *Sed vtramq; de vno, eodemq; genere subiecto esse.* Hoc autem esse, primum fotmalem effectnm, hoc est ens ipsum. Sed hoc, iam confutatum est. Videamus autem quo modo, id deducat, assertionibus hisce, vel inducat, tam multis, tam futiliter, tam laboriose, tam magno fastu probatis, vel improbatis: quas quidem singillatim persequi, non est nobis. otij superuacanei tanta copia, vt tempus vanè perdere, & in re tam nihili profliganda immorari, aut liceat, aut

libeat. Assertiones tantummodo, quo modo sibi constent, & quam veræ sint, & rem propositam, an conficiant, considerabimus. Quoniam sine in nos inuectionis, ad hoc faciẽdum nos prouocauit.

Prima itaq; hæc esto, non esse vniuoca hęc tria, esse rerum naturalium, esse Dei, esse substantiarum separatarum. Ergo a se inuicem differunt, & propriam vnumquodq; essentiam habet, & propriam deffinitionem. Ratum hoc esto. Secunda autem assertio, hæc alia est.

Assertio secunda.

Ens illud per quod, cum Deus opt. max. tum res naturales esse dicuntur, nullam habere posse simplicem & communem rationem vtrisq; analogice cõuenientem: cuius ratione certæ alicuius definitęq; scientiæ subiectum genus esse possit. Per hanc, id nimirum dicitur, esse Dei, & esse rerum naturalium ad nullum vnum, commune principium, referri posse. Neq; ab vna eademq; causa, vtrumq; pendere. *Analogum enim, inquit, debet etiam totum ad vnum principium referri.* Quod sanè esto verum, quia si ad aliud principium referrentur, iam Deus, prima causa nõ esset.

Assertio tertia.

Illud ens, quod rerum naturalium sic proprium esse diximus, vt Deo nullo modo conuenire posset, & re, & ratione abstractum esse a materia.

Hoc sanè, iam non solum contra omnia Peripatetica, & Aristotelica dogmata, verum etiam falsissimum esse conuincitur. Ens enim naturale est, vel materia prima, vel forma quæ dat esse rei, vel ex his composita substantia, vel accidentia, quæ ab eis prouenientia, compositæ substantię; vel semper insunt, vel aliquando. Dicere autem materiam a materia abstractam, insania mera est. Formam autem, quæ ex potentia, & sinu materiæ processit, inque materia fundata est; par insania est dicere a materia esse abstractam. Maior vero insania dicere compositum substantiam cuius pars materia sit, esse, a sua parte, abstractam; tamquam totum sine parte posset consistere. Accidentia autem, quæ tum ex materia, tum ex forma, in composito sunt, & quorum esse, est fe-

rè,

rè, alteri inesse, furor est dicere, nulli inesse. Ac tametsi formæ natuea, a qua esse exoritur, per se materiam minime includat; attamen,& a materiæ potentia prodijt, & sine materia nequaquam subsistit,neq; existit, neq; est. Neq; illud esse, quod ab ea exoritur,sine materiæ saltem fulcimento exoritur. Non ergo potest,re a materia esse abstractum. quamuis ratione abstrahi,& per cogitationem possit non aliter,ac mathematica entia, quæ in Aristotelis philosophia,in naturali composito esse habent,mente tamen ab eo separantur. Ideoq; falsum est,quod addit.

Esse formale non coniungitur materiei per se,hoc est quatenus tale est, sed quatenus capax est ortus, & interitus. Nam si horum capax est, non ob aliud est, quam ob materiam, cui iunctum est, etiam si per se,& in se, consideratione comprehendatur. attamen materiei, re ipsa est coniunctum. At si materiæ semper est coniunctum,numquam a materia,re ipsa abiunctum esse potest. Tertia ergo hæc assertio falsissima est. Falsa etiam.

Assertio quarta.

Esse rerum naturalium,a forma profectum immobile existit.

Nam si ortus,& interitus capax est,esse formale, hoc est, id esse quod a forma prouenit, ortus autem & interitus sunt ab Aristotele inter motus numerati, & motus sunt, & per motum fiunt, qua quęso ratione,immobile dici potest, id, quod motus capax est? Si forma ipsa, causa nimirum ipsius esse formalis, & oritur,& interit, immobilis non est, quo modo effectus eius,immobilis existet? Neq; ratio qua id confirmatur ad rem facit, scilicet.

Quia motus est actus entis in potentia,quatenus in potentia: esse vero formale,quatenus huiusmodi est,actum significat.

Nam si materia est natura vt docuit Aristoteles, si itidem forma, est natura; Natura autem est principium motus, in eo in quo est; & materia, & forma profecto principium motus erunt,in eo,in quo sunt,in composito scilicet naturali,in quo esse naturale est. Ergo & esse naturale mouebitur, ea ipsa ratione, qua esse naturale; hoc est a natura formæ ortum, hoc est a principio motus. Quid enim aliud mouetur a forma, quam ipsum esse,cum & oritur,& ad non esse transit, atque

interit; quantum vis actum significet. Sed potentiæ coniūctum ita, vt sine ea nequeat esse, & ipso esse suo, ab ortu tendens ad interitum. & cœleste corpus quod materia caret, & forma, & actus est, proculdubió mouetur, ac mobile est. Et si, quod actu est naturali, immobile esset, nullum naturalium corporum moueretur, at & actu sunt, & mouentur. & motus ipsemet, actus est, & quatenus actus est, enti in actu competet. Ergo hęc tua Angeluti, contraria sunt Peripato vniuerso, rei naturæ toti.

Assertio Quinta.

Haud posse esse formale, recte & ad vnguem intelligi, tametsi physicum est, & rebus naturalibus ceniunctum, sine aliqua de Deo, & rebus diuinis cognitione.

Multa in hac sunt, quæ absurditatem magnam prę oculis nobis ponunt, nec pauciora in eius comprobatione. quam tamen non attingimus, ne tot somnia profligantes nos quoq; somniare videamur. Sed asertionem perstringamus. Ac primum quidem ab eius authore, interrogemus, quid sit recte intelligere, & ad vnguem? Nam si (recte) significet verè, & (ad vnguem) sit plenè, dicemus nos, nullam rerum naturalium, vel aliarum vllam, verè & plenè ab humano intellectu intelligi posse. docente nos doctore suo Aristotele, mētem nostram ad veritatem rerum non aliter cæcutire, quàm noctuæ oculos, ad solis lucem. Neque enim vlla accidentia tam clara sunt, vt ad substantiæ cognitionem integram perducere nos queant. Neque substantia vlla penitus pernosci potest, aut cognita ab vllo, quantumuis maximo Philosopho vnquam est. Neque vllas rerum vltimas differentias ab hominibus posse cognosci, in scholis Peripateticis, ita est vulgatum, vt penè in prouerbium abierit. Quod si tu, bone rerum penetrator, res, rerumq; & substantias, & differentias, & accidentia, plenè, & verè penetrando percepisti, aperi eas nobis quoque è tenebris erue, in lucem educ claram, vt tamquam aquilę oculi, mentes nostræ, tua ope, solis veluti iubar queant intueri, & eris nobis magnus Apollo. Sin verò, (recte, & ad vnguem) aliud tibi significent, nec verè plenum, nec plenè verum; concedemus tibi humanam mentem

tem, eo modo res naturales, & esse naturalium rerum, posse percipere, non tamen concedimus, non posse eas cognosci. *Sine aliqua de Deo, rebusq; diuinis cognitione.* Namque id contra assertiones tuas primum est, primam scilicet, & secundã. Si enin esse rerum naturalium, nec vniuoce, nec analogice rationem vllam habent communem, cum rebus, vt tu loqueris, naturalibus Deo, & substantijs reliquis, a materia separatis, penitus sunt hæc inter se disparata, nec vllo communi vinculo inuicem colligantur, nec ab vno principio pendent, nec ad vnum principium referuntur. Ergo cognitio alterius, nihil ad alterius cognitionem confert. Ergo falsa assertio tua quinta. Pteterea, si esse Dei, ob eius infinitatem, & eminentiam est nobis ignotum, quando quidem & ipse sequenti asſertione id asserat his verbis. cum Deus nobis sit ignotisſimus, exemplumq; idem vespertilionis afferat, nullo modo eius aliquam cognitionem possemus habere. Imperfectam illam, forte inquies, qua saltẽ cognoscimus Deũ esse, & bonitatem, & alia, quædam eius, quæ vocant attributa. Esto. Ex eo te interrogo, cognitor rerum archanarum, & dic nobis si potes, An Thales, an auditor eius Anaximander, vel Anaximenes, vel aliquis de Schola Ionica philosophus, vel alia, qui vel Deum non agnouerunt, vel etiam negarunt, nec quicquam vnquam de substantijs separatis istis tuis, mente conceperunt, esse aquæ humidum, esse terræ frigidum, & id genus alia esse, sub sensum saltem cadentia cognouerint? &, si hoc non potes, dic nobis saltem, dum ad foculum, te tam magno philosopho dignum, hieme sedes, vt a frigore te tueare, esse illius foculi, illius caloris, illius frigoris, sine Dei, & intelligentiarum illarum tuarum abstractarum, contemplatione an posſis percipere? Si dicas non posse, quia intelligentia illa tua sublimis, stare loco nescit, & frena spumantia mordet, concedemus id tibi, sed omnium hominum soli. Et iterum rogabimus, an ancillulam quoq; tuam, vel vernam puerum eandem edocueris contemplationem, dum tecum, vel te clam, ad foculum illum, ac semimortuum igniculum, sese calefaciendo, vel basia exercent, vel iurgia? vt nequeant calorem, vel igniculi, vel basiorum percipere, si non etiam separatas sobstantias speculentur? Edisſere nobis hæc, rerum omnium penetrator acerrime, & expli-

cator dilucidissime. Tardi enim sumus nos, vt tu adnotasti, in intelligendo. Explica etiam nobis, hoc quoque, quod est in assertione hac tua. *Tametsi physicum ens sit, & rebus naturalibus coniunctum*. Quæsumus enim te, vt nobis dicas, si physicum ens, diuersum sit a naturalibus rebus? An vero physicum, & naturale idem sunt? Nam si idem sunt, & re, & ratione, & nomine etiam, quo modo simul coniunguntur? hanc nostram in intelligendo tarditatem, barditate tua velocita, vt prompte possimus intelligere, rem vnam, & eandē & a se disiungi, & iterum sibi coniungi posse. Vel saltem edisere, quo modo eadem res, a se diuersa esse queat. De tua officina prodeat hæc explicatio, ex qua prodijt etiam, *Forma recens in actū educta, quę non moueatur, & sit a materia abstracta. quæ de potestate eius de nouo est producta*. Hęc enim tam bella fuerit, quàm bellæ fuerunt omnes præteritæ explicationes per colliria delirationum nobis infusæ.

Assertio sexta.

Esto hæc Aristotelis, sed hisce verbis. Bessarione interprete, libro 6. metaphys. tex. 4.

Si igitur non est aliqua alia substantia, præter eas quæ natura consistunt, naturalis profectò prima scientia esset. Quod si est aliqua substantia immobilis, hæc prior, & philosophia prima, & vniuersalis sic, quod prima. Sed Angelutius nobis fucum facit, dum hęc & verba, & sententiam ita inuertit.

Nisi sint alię substantiæ præter eas, quę natura consistunt, physicam fore sapientiam, & primam scientiarum. Fucum inquam nobis facit dum pro prima scientia, supponit sapientiam. vt scilicet iterum misceret scientiam, & sapientiam in his verbis probationum suarum.

Distinguuntur autem vt dixi, physica, & metaphysica, non tamquam diuersæ scientiæ, sed vt scientia, & sapientia, de eodem subiecto genere. quàm sapientiam solet etiam nonnumquam Arist. Theologiam nominare. Sed dum fucum nobis facere conaris, tu te ipse tibi fucum facis maximum. Nam si non distinguuntur physica, & metaphysica, vt diuersæ scientiæ, non oportuit Aristotelem eas inter se comparare, quæ prima futura esset, quæ ve secunda, aut posterior, ex subiecto genere, si genus hoc vnum, & idem

esset. Sed in Aristotelis verbis, duo sunt eis subiecta genera; substantiæ scilicet, quę natura constant, physices sunt subiectum. Substantia autem immobilis subiectum philosophiæ primæ, quam tu, & audacter quidem, semper; ego vero, vix audeo metaphysicam, nominare. Sed tibi quidem omnium optimo distinctori, mobilis substantia, cum immobili eadem videtur, & motus idem cum quiete. & æternũ a corruptibili genere, conrra Aristotelem, non differre. Verũ stultior Angelutio, ipse videar, si stultitias hasce omnes, adnitar vel prosequi, vel persequi, quæ tantopere ab Aristotelis, atq; etiam omnium Peripateticorum doctrina dissidēt.

Assertio septima.

His metaphysicorum libris ex professo susceptam ab Aristotele esse tractationem de substantiæ illius attributis, quæ cum natura, tum materia constare dicitur.

Qua assertione, quæ eadem est, cum re, a principio ab eo proposita, nulla vnquam fuit insanior. Nam si metaphysicorũ libri eam quam ipse sapientiam proxime nominauit, tractāt, eamq; Theologia etiam dicitur, vt ipse inquit, quòd mentem in Dei cognitionem maxime eleuet; apud omnes mente non insanos, Deus & diuinæ substantiæ Theologiæ subiectum esse, & dicuntur, & sunt. *Tametsi; ait hic; de Deo, vt de subiecto genere, aut subiecti parte minime habeat orationem.* Hic iam sanè furor est, asserere Theologiam de Deo sermonem non habere. a quo nomen etiam sumpsit. Aristoteles quidem proposuit, se de sapientia velle tractare, hanc autem inquit esse de primis causis. Quare, vel Aristoteles ebrius tūc fuit vel tu nunc furiosus es. Quę causæ primæ, quia Deus sit, & aliæ diuinæ substantiæ, earum tractationem Theologiæ nomine insigniuit, & primę etiam philosophiæ. Tractationem autem de ente, eiusq; passionibus, philosophiam nominauit. Quas tres tractationes, voluit vno nomine comprohēdere, is, qui metaphysices nomen excogitauit. At hic nouarum sententiarum excogitator, idem putat esse considerare ens quatenus ens, & tractare attributa substantiæ, quæ cum natura tum materia constare dicitur. At inquam ego, hoc merum delirium est. *Ens enim per te est, primus formalis effectus*

fectas cuius peæcise sumpti proprietates sunt, vnum & multa; actus, potentia; Et quæ ibi enumerat reliqua, & ad ea multa etiam alia, ab Aristotele numerata. Quorum quamquam etiam in naturalibus substantijs reperiantur, quędam, & alia in diuinis, non sunt tamen illarum ita proprię, vt omnibus entibus, & enti simpliciter, non communicentur. Et qui hoc commune ens, & communes hasce entis passiones considerat, philosophus nominatur. Qui vero vnam entis partem, vt puta diuinam sibi resecat, hic primus philosophus, & sapiens, & Theologus ex diuersis respectibus nuncupatur, sicuti qui entis partem aliam resecat quantitatem, scilicet, mathematicus. & qui partem eam sibi resecat, quę natura constat, & in motu versatur, appellatur physicus. Verum hic homo, omnia confundit, & metaphysicum, tria illa priora tractantem, physicum appellat, & qui physicus est, metaphysicum. & ens commune omnibus, cum entis parte, vicissim conuerti dicit. Ex qua confusione prodijt etiam.

Assertio octaua.

Substantiam naturalem, cum re, tum ratione a materia separari solere, ab Aristotele appellari.

Quod quidem probare se ait ex ea entis communis, cum substãtia naturali, conuersione. Quam quidem conuersionem nũquam vidit Aristoteles, qui nullas alias naturales substantias nouit, quam tres, materiam, formam, & ex his compositum. Tantundem ergo erit dicere, substantiam naturalẽ a materia separari, quantum vel materiam a materia, vel formam a materia a qua pronascitur, & ei semper iuncta est; vel compositum a materia separari, ex qua, vt ex parte, constat. Si dicat, se intelligere pro substantia naturali, secundas substantias hoc est species, & genera ex predicamento substantiæ, quod & dicit, tunc rogamus eum, si intelligat de ijs speciebus, & generibus, quæ ad prędicationem seruiunr, & dicuntur vniuersalia post multa? Si hoc asserat, dicemus nos hęc vniuersalia Aristotelem affirmasse, vel nihil esse, vel posteriora. Itaq; substantiæ hæ, nihil erunt, vel posteriores omnibus accidentibns, cum natura ijs priora sint, & substantias has, non in natura esse, sed in mente humana con-

ſtat. Si vero reſpondeat, ſe intelligere, ſpecies, & genera, quæ ſunt vniuerſalia, vt Ammonius vocat, in multis: tunc dicemus nos, hæc multa, materialia eſſe. Vbi enim multitudo, ex Ariſtotelis doctrina, ibi etiam materia. Ergo, neq; hac re, neq; hac ratione, ſubſtantię naturales, ſiue illę primę ſint, ſiue ſecundæ, a materia vllo modo ſeparari poſſunt. Inſania ergo eſt dicere ſubſtantias naturales, quaſcumque, a materia, re, & ratione ſeparari. Nec minor inſania eſt in hac aſſertione.

Aſſertio nona,

Subſtantias naturales per ſe æternas eſſe, alienasq; ab ortu, & interitu.

Nam ſi de materia ipſa prima, de Cœlorum ſubſtantia, de elementis totis, de mundo, id intelligatur, in Ariſtotelis doctrina vera fuerit. Sed idem dicere, de indiuiduis miſtorum ſubſtantijs, & partibus elementorum, non inſanientis, ſed iam inſani hominis eſt. Has autem etiam comprehendi, ſimplici hac locutione (ſubſtantias naturales) quis non videt? Sed ſi de ſecundis ſubſtantijs, id intelligi voluit, cur non expresſit? & locutionem eam non coarctauit? verum, & has ſecundas, ſi quis recte conſideret, non poſſunt dici æternæ, & alienæ ſimpliciter ab ortu, & interitu, cum indiuidua, in quibus illæ poſitæ ſunt, gignantur, & intereant, Per partes ergo intereunt, non aliter quàm elementa, quatenus totę æternæ ſint, materia, prima, & cœlorum corpora æterna. Varia ergo eſt aſſertio hęc, vt eſt generaliter, & ſimpliciter prolata. & tertiæ contraria, in qua dixerat; *Eſſe formale, coniungi materiei, quatenus capax eſt, ortus, & interitus.*

Decima aſſertio vera videri posſit, ſi primę ſubſtantię indiuiduæ, vt ſenſibiles dicantur, opponi ſubſtantijs ſecundis, nō ſenſibilibus.

Vera etiam vndecima de ſecundis, eo modo ſcilicet quo diximus, vt totę ſint immobiles. Demus, & duodecimam, hasce ſecundas ſubſtantias ab Ariſtotele ſolere appellari, principia. Demus & XIII. per entia ſeparata, aliquando Ariſtotelem intelligere Ideas & numeros Pythagoricos, ſi tamē vere citentur ab Angelutio ea loca, quę ad hoc ſtabiliendum attulit. non enim aut vacat, aut liber minutim id exquirere. At non damus quartam, & decimam aſſertionem.

Metaphysicorum libris, in id cum primis Aristotelem respexiße, vt in ijs proprio sensu expositis, quæ ad physicorum intelligentiam requirebātur, vt doctè quis, sapienterq; naturæ cognitionem possideret. Platonis, & Pythagoræ opinionem expugnaret, qui postremam, & absolutam rerum physicarum notitiam postulantes, vel in idearum ambages, vel in numerorum inuolucra deducebant.

Multa enim hic sunt absurda. Primum namque non videtur ex tot assertionibus præmissis, deducta esse. Nec dubitationes, quas a principio afferebamus, diluuntur; neq; clara sunt quæ de numeris dicuntur, quia omnes Pythagoreorū libri. quibus hæc res clarescere poterat, perierunt. Relationi autem Aristotelis hac in re non esse standum, tertio Tomo, satis superq; ostendimus. Quæ vero de idearum expugnatione ait, & falsa sunt, & in eis sibi non constat, quieas satis longo sermone comprobat ex Aristotele, hisce verbis.

Nisi inique existimemus, Platoni Aristotelem inscitiæ notam inurere voluisse, modusq; cum deesset, calumnias confinxiße, ac per summam audaciam sanctissimi magistri doctrinam, falsis criminibus vellicasse.

De cuius tamen Angelutij de Ideis sententia, nihil in presentia dicemus an recte cum Platone, Platonicisq; sentiat, ne scilicet parergon, maius ergo euadat. Sed quę post ideas de metaphysicis libris inferat, expendamus. Infert autem.

Reliquum est modò, vt metaphysicorum libros omnes percurramus, ac videamus si quid amplius sit in ijs quod opinionis nostrę veritatem demonstret, præter ea quę ante attulimus. Sed quæ ante attulit tanto ingenij molimine, veluti magnas quasdam moles, pro fundamētis fabricæ eius aereæ, nullam huius rei veritatem demonstrarunt. Nam XIII. illæ assertiones, etiam si veræ vt sint, concedantur, nihil tamen rei propositæ confecerunt, aut partem eius vllam comprobarunt. Neq; .n. sequitur ex prima, vel secunda, quia Deus, nec vniuoce, nec analogice cum rebus naturalibus communicet, ergo metaphysici libri commentarij sunt physicorum. Neq; ex tertia, si vera etiam sit, res naturales, a materia esse abstractas; Neq; ex quarta, quamuis detur, esse naturale, esse immobile; neq; ex quinta quantumuis hoc tale esse, intelligi nequeat, sine Dei aliqua notitia. Neq; ex sexta, etiam si physica fieret sapientia. Neq; septima, quicquam probat propositi a quo nihil differt; Neq; ex octaua, quamuis detur, substantiam naturalem materia separatam

appel-

appellare Arist. sit solitus: Neq; ex nona, etiam si substātiæ naturales essent æternæ; Neq; ex X. aut XI. aut XII. aut XIII. aut XIIII. quę eadem est cū re iam olim proposita concluditur, ergo subiectum librorum metaphysicorum, idem est cū subiecto physicorum.

Videamus modo, quas demonstrationes efferat ex ipsis omnibus libris metaphysicis ad suam sniam cōprobandam. Petitur aūt prima probatio ex 2. cap. 1. lib. vbi causa philosophādi affertur ex admiratione. *Quæ, inquit, ratio Aristotelis plane friuola est, nisi de ijsdem agat metaphysicus.* At o bone, ibi de causa & initio philosophandi habetur oratio, non aūt de metaphysica agitur, quæ multis ab eo initio seculis, est exorta, quando scilicet ex motibus cœlestium corporum, in notitiam mens humana venit, motriciū cārum. Futilis ergo, & ratio tua est, & illatio. Secundam rōnem petit ex 3. cap. In quo Arist. ait, oportere primarum cārum scientiam accipere, quod duobus ēt præcedētibus dixerat. Causæ aūt quatuor sunt, de quibus sit in libris naturalibus satis disputatum, & veteres physici aliquid de eis iam dixerant. *Itaq; ait, proderit huic tractatui, si illa quę in physicis dicta sunt breuiter repetantur, & si asciscantur etiā veteres, qui de cāis aliquid dixerunt, idq; vt aliam cām inueniamus, aut magis credamus illis causis, quę dictæ sunt.* Repetitio ergo breuis ad hosce duos fines facta est, non aūt vt omnia, veluti Angelutius somniat, ad naturalem scientiā referrentur. Connexaq; hæc repetitio est, propositæ rei. Querebatur .n. scientia de primis cāis, & primis principijs. At de causis, & principijs, & veteres, & Arist. iam tractauerant, inter quas vt dignoscerentur ea, quę quærebantur, repetitio facta est, non aūt vt oīs tractatio ad physica referretur. Et quia motus tum a causis naturalibus, tū ab illis quas quęrebat causatur, paucissimis verbis eū attingit. Et verba hæc. *Et ad hæc quod principia, aut oīa, aut horum aliquod, modo quærenda sunt patet.* Contra seipsum Angelutius attulit. In eis .n. proponit non omnia quærere principia, sed aliquod, non naturale illud nimirum, & natura superius. Ex quibus diluuntur etiam illa, quæ deinceps affert ex tex. 50. Ea vero quæ ex lib. 2. adducit, nihil omnino probant, quando eum librū, qui veterum testimonijs Alexandri & Philoponi maxime est cōtrouersus, ex controuersia nō exemit, nec probauit esse eum Aristotelis, nec esse metaphy-

ficæ tractationis, neq; non esse physices. quę omnia sunt ei antea probanda, quã ex eo argumẽta petat. Sed ridicula sunt, quæ ex 3. tex. lib. 3. afferuntur. *Actiones omnes esse cum motu.* Ex quo infert. *Non igitur, nisi de physicis actionibus tractatio his libris habetur.* Cur non dixisti etiam, de humanis actionibus? Nam in contextu Græco vtitur voce, praxeos, hęc autem nõ naturæ, sed hominis actio est. Cur ergo oculatissime Græcissator, non infers libris metaphysicis, de actionibus humanis, quæ etiam cum motu fiunt, sermonem Aristoteli esse institutum? Ait deinde lib. 4. tex. 2. *non posse ad metaphysicam referri, nisi eadem sit naturali philosophiæ.* Sed ea, vt fucum faciat, manca refert, sunt autem hæc integra.

Patet itaq; vnius esse, entia prout entia speculari, vbi; autem proprie primi, & ex quo cætera pendent, & propter quod dicuntur, scientiæ; Quod si substantia est, oportet poofectò vt substantiarum principia, & causas philosophus habeat. Quæ omnia de metaphysica, non aũt physica sunt intelligenda. Nam entia vt entia speculari, ad physicũ non pertinet, nec primum ens a quo cætera pendent, ẽt non mobilia, & abstracta. Sed hic tam bonus artifex, sententiolas venatur truncas, & verbula, vt suas falsitates adstruat, clara ommittit, quæ eas destruere valeant. Neq; vero, qnod subnectit vere infertur. *Metaphysicus de eo agit, quod ab omni penitus est materia disiunctum; non potest vnà complecti de Deo, ac de rebus naturalibus, scientias tamquam duas species.* Non potest equidẽ nos quoq; fatemur, & contendimus, & ita contendimus, vt eius non sit, etiam de ente vti est ens speculari. quod philosophi simpliciter; est munus. Reliqua entia quæ ab hoc communi ente resecantur, aliarum scientiarum, vt specificæ magis sunt, est officium contemplare. Quæ ergo confusio hominis huius est, vt entia physica cum metu iuncta, pro entibus simpliciter, & entibus primis sumat? Ea vero quæ his subdit, vanitates sunt omnia, ex prima illa vanitate pendentia. qualia sunt, & hęc.

Idem Aristotelem his libris agere, de ente solo naturali patet, ex eius proprietatibus, quas exponit, quæ non quadrant, nisi in entia naturalia. Alię vero ei non quadrant, omnes vero quadrant enti simpliciter, & communi. Et quæ naturali quadrant etiam quadrant communi. Nam species, & speciei omnia attributa, in genere continentur. vt risibile, quod homini proprium; est,

ab

ab aiali ẽt continetur. Atq; ita proprietates illę cunctæ cōpetunt enti communi, & ad philosophũ simpliciter pertinet earũ speculatio. Quarũ postea alię, substantijs abstractis, & primæ philosophiæ, & Theologiæ cõueniunt, aliæ mathematicis medię scilicet scientiæ aliæ naturali, quę est physica. Corruũt ergo oĩa illa, quæ Angelutius, ex tã falso principio deducit satis multa, & vana ex 5. lib. Et itidẽ ea quæ ex lib. 7. Diximus enim nos (dẽpto, minore A) quę primo, secũdo, dein quatuor postremis metaphysic. libris cõtineri tractationẽ de primis cãis, & principijs, Deo, & substãtijs diuiuis ab Arist. haberi. reliquos libros intermedios oẽs esse de ente. Frustra ergo argumentatur ex 7. lib. de Deo, & intelligẽtijs, quæ in eo nõ attingũtur. Et quæ ex lib. 8. refert, si de substãtijs naturalibus, intelligãtur, vt sane intelligendũ vr̃, cõprobatur snĩa nr̃a, hosce libros confusos esse, vtpote qui de natura ẽt tractent. vel dicendũ, quia nãlia entia, sint species quædã entis vniuersi, eũ qui de genere tractat, ẽt speciẽ cõprehendere. Atq; ad hũc sensum similis ille locus ex lib. 11. est accipiendus, in vtrãque scilicet nr̃am snĩam. Idẽ dicimus de lib. 9. & ijs quę ex eo afferuntur. & quæ ex lib. 10. rursus, & 11. & repetitio infiniti ad verbũ cũ his quę in physicis disputauerat, eisdẽ rõnibus, vel cõfusionis, vel generalis tractationis soluũtur, quatenus species sub generibus cõtinẽtur. Et quę postea de Deo, & intelligentijs affert, cõtra eũ sunt. Hic .n. erat primus horũ librorũ scopus, & res a principio ꝓposita ad inquirẽdũ, quãuis cõfuse, & perplexe, & varijs ambagibus, eam fuerit prosequutus. Itaq; nihil eorũ, quę ad suæ snĩæ demonstrationẽ Angelutius attulit, suã sniam confirmat, nec cõficit quicquã eorũ, quę ipse putauit. Quæ vero multa postea scribit, ad dilutionẽ argumẽtorũ quæ cõtra eius snĩam faciũt, ea oĩa omittemus, nr̃oq; labori, ne in nihili re profusus videaẽ, parcemus; illud tantũ admonẽtes, ꝑtermisisse Angelutiũ, quę fine disputationis cõtra nos institutæ, hisce verbis pollicebatur. *Quod Patricius obijciebat libris metaphysicorũ agi de tribus subiectis generibus, quæ nõ possint sub vnã, & eãdẽ snĩam cadere, nullũ momentũ habẽt, vt mox a nobis declarabitur*. Nihil .n. cõtra hęc, aut declarauit, aut demõstrauit, aut ostẽdere tentauit. Per oẽs ergo partes, tũ cõtra nos, tũ ad probandã snĩam susceptas, audax, & temerarius, & mendax, & seipso inanior euasit Angelutius.

FINIS.

APPENDIX.



VERE etiam alij nonnulli, qui sententiam meam de libris Nicomachijs, euertere sunt conati. nostrasq; rationes leuissimas appellant, & nos grammaticis, & Nizolijs adnumerant, & a recte philosophantiũ numero excludũt. Quorum rationes sunt a nobis in presentia perpendendæ. Ac quidẽ primo fatẽtur, Ethicos Nicomachios, a Nicomacho Aristotelis filio inscriptionem hanc sumpsisse, nõ quia Aristoteles pro eo solo eos cõposuerit, vel eos ad eũ miserit, sed quia consueuerint veteres nonnũquã libros inscribere, nomine alicuius sibi summopere, vel amicitia, vel sanguine coniũcti, vel cuius cõditioni essent accõmodati. Quod frequenter fecit Plato, & seruauit Aristoteles in suis dialogis, & in libris de moribus. Nos vero ita primo respõdemus. Esto verũ id veteres cõsueuisse, in dialogis; At Nicomachij dialogi non sunt, non ergo in eos hæc ratio quadrat. Quod vero additur, & in libris de moribus, iã id principij est petitio. Id.n. ipsum cõtrouersum est; quod p aduersariũ affertur ad probationem. Sane in dubio est an Ethici Nicomachij, & Eudemij, Aristot. sint. probare eos esse quia ita Aristoteles cõsueuerit in libris de moribus facere dubium per idẽ dubiũ cõprobare est. Scripsit quidẽ Aristoteles aliquot dialogos, quibus tituli fuerunt, Alexander, Gryllus, Menexenus, Nerinthus, Eudemus, Amatorius, Conuiuium. Sed illi ex nomine collocutorũ inscripti; cuius modi nequaquã sunt Ethici Nicomachij. neq; .n. vel dialogi sunt, vel Nicomachus in èis colloquitur, aut Nicomachi vocantur. Neq; eos ex cõfessione aduersarij ad Nicomachũ misit, neq; dixit ad Nicomachum. Quales multos Isocrates, Aristotele paulo senior, inscripsit, sed in eis statim ab initio, atq; ẽt intus, eos alloquitur, & appellat. Quod ẽt post Aristotelẽ multi alij fecerũt, Cicero, Plutarchus, Galenus, alij. Ar nullus in his Nicomachus, vllo loco appellatur. Quare non pẽdet hæc inscriptio, ex veterũ cõsuetudine, neq; ex Platonis dialogorũ exemplis. Ideoq; & quæ ibi & quæ postea in hãc sñiam adducũtur nullius sunt momenti. Quod vero subditur; *Eum nomine filij vsum, ob dilectionẽ, & vt indicaret disciplinã hanc accõmodatissime versari inter patrem, & filios.* Sane & ex proprio arbitrio dicitur, &

nullo

nullo testimonio,& nulla ex his,aut alijs Arist.libris,eruta ratione. Et tātū dici posset,si sine hac inscriptione eos scripsisset,prout de ij, quæ Magna moralia sunt appelata, dici pōt. Et quāuis & Nicomachij,& Eudemij,& Magna Arist.dicātur esse,affirmant tamē,nos nihil certi ea de re scire posse. Quod si est,cur ex stilo,ex methodo,& iudicio,& opinione,fœtus Aristotelici ingenij oēs esse, argumenta ad certitudinē ducuntur? qñ & stilus effingi pōt a quouis exercitato, methodus, & ordo,si modo diuersa sunt in libris Aristotelis, & iudiciū, & opinio,& ꝛ Theophrasto,& ab alijs eius discipulis, vel ad exemplum efformari, vel magnorū ingeniorū ex proprio ēt adhiberi,& prȩsertim ab eius filio,qui Thophrasti auditor fuit,& ab Eudemo,qui ēt alios librps ijsdē cū Aristotelicis, titulis insigniuit.Sed quoniā,quȩstio oīs in Nicomachios vertitur,quos solos ab Aristotele absolutos,& perfectos,alios vero inchoatos,& rudes asserunt,videamus quid in ea questione ab aduersarijs,vel ad nostrā sniam refellendā, vel ad suam cōprobandam,agatur. Nos itaq; primi Tomi lib. 3.hac de re in hunc modum scripsimus.

Horū vero Nicomachiorū,si Ciceroni credatur nō est Arist.dicēdus author. Nā lib,5.de finibus ita scriptū reliquit. Teneamu Aristotelē.& eius filium Nicomachū,cuius accurate scripti de moribus libri, dicūtur quidem illi esse Arist. Sed nō video cur nō potuerit, patri, similis esse filius.

Ad quā Ciceronis authoritatē (vt singillatim procedamus) satis habet aduersari⁹ dicere cōspicuū esse Ciceronē frequēter fuisse halbucinatū,in referēdis opinionib⁹ Arist. Ad hoc nos primo dicimus,eum,hanc ferre sniam,nō potuisse. quippe qui in Cicerone sit minime versatus, vtpote qui ignoret, quot libros Cicero de finibus conscripserit. Id aūt probatur palā,ex his eius verbis. *Asseruit Cicero in Sexto de finibus*. Libri aūt Ciceronis de finibus,nō excedunt quintū. Qui ergo hoc ignoret,non videtur eos vnquam legisse. Qui aūt libros Ciceronis minime legerit,quo modo, vel scire pōt, vel affirmare audet, Ciceronē frequenter fuisse halucinatum, in Aristot. opinionibus referēdis? Audere aūt affirmare, ea quȩ quis ne sciat,an sit philosophi veritatem amantis,ipse videat. Quod si sibi credi voluit,loca compertū esset, vel ipse sua industria compertum alijs faceret,id ita esse. Dum ergo id curat ipse, nos Ciceronis authoritatem, interim magni hac in re faciemus.

mus. Qui quidem eo tempore vixit, quo Aristotelis libri per Andronicum Rhodiũ sunt publicati, eorũq; indices ab eo cõfecti, multo antequã Adrastus, aut alij Aristotelicorũ librorũ interpretes alios iudices fecissent, neq; adhuc inter se cõtendissent, hosce potius, quã alios Aristotelis fuisse. Ad quã tñ ex prima antiquitate, ac primis testimonijs ductã rõnem, nihil est responsum, quę vna fuerat, inter alias nostras rõnes. Sanè de oĩbus Aristotelis Gręcis interpretibus, quos habemus, Simplicius solus prolegomenis suis in prędicamenta. Nichomachios ethicos inter Aristotelicos numerat. At Simplicius plus q̃ sexcentis annis post Ciceronẽ vixit. Qui ergo melius, ac certius quam Cicero scire id potuit? cũ in re tã magni momenti, philosopho præsertim diuinare, nequaquã liceat. Et si non diuinauit, necesse fuit, eum id per traditionẽ percepisse eorum, qui cũ Cicerone eos libros primi viderant, aut posteriorum quorundam, quorũ traditioni, nõ est tãta fides adhibenda, quanta ijs qui eos ab initio legerint. quando tanto annorum spacio, quæ & per manus, & per scripta posteris traduntur varios, ac falsos sepe titulos aquirunt. Quod multis libris variorũ authorũ accidisse, iã est a nobis, satis superq; ostensum. Diogenem aũt Laertiũ, qui ab aduersario secundo loco post Ciceronem oppugnatur, sic nos tuemur. Primo quidem ꝙ maioris antiquitatis q̃ Simplicius fuerit, argumento. Videtur .n. plusquam CCCC. annis præcessisse. & longe plures q̃ Simplicius authores euoluisse. Impugnatio aũt Diogenis, his verbis facta nihil omnino probat.

Dico aũt numerum multorum aliorum librorum qui proculdubio sunt Aristotelis, secus ab eo fuisse relatum, ac re uera se habent.

Retulit sanè Diogenes, multorum librorum, & noĩa, & numerũ secus q̃ se habeant hi libri, qui sub Aristotelis noĩe circumferuntur. At esse hosce libros Aristotelis, qua rõne (proculdubio) dici põt? quandoquidem nos ostenderimus, eos omnes, in controuersia positos fuisse, apud antiquos. Quam controuersiam, toto tertio nostro libro celebratum vix toto quarto emendicatis quibusdam tesmonijs, dubijsq; eisdem, vix, & infirmè resarciuimus. Ergo si procul omni dubio, Aristotelicos eos esse, statuisse debuerat, erant ei prius ex omnibus cõtrouersijs eximendi, omnesq; quas attuleramus rõnes cõuellendæ, atq; meliores, & validiores aliæ adinueniendæ, sed dũ

hi,

hi, interpretis vnius, aut alterius, nituntur authoritate, vel propria sua, eodẽ modo hanc rẽ, quo philosophiã ipsam tractant. hoc est authoritate, leuissimo oĩum argumento. Verũ vt melius dicã, ne authoritate quidem nituntur vlla, vt id ꝓbent. Vtantur sanè ea, pro libito, in scholis, erga iuuenes adhuc rudes. licet enim id, si liber. At philosophiã, resque oẽs graues, in libris, quibus, sese posteris cõmendaturos sperãt, rõnibus tractẽt veris, validisq;. Philosophentur ẽt rõnibus cũ philosophorum rõnes, ac vera, & vetera testimonia, suscipiunt impugnãda. Neq; enim eos authoritates tueãtur sola. Quod vero subnectitur; *Diogenem quoq; nihil certi habuisse.* Sanè Diogenes, octo nobilissimos authores citat, ex quibus collegerit ea, quę in Aristotelis vita descripsit, inter quæ eius libri sunt. Si ex tãto authorum numero, nihil certi haberi potuit, vnde tandẽ certitudo huius rei, est exquirenda? Proferant ipsi, pro octo, saltẽ vnũ qui certiora tradat, qñ Simplicius tanto tpe posterior, nihil scire potuerit certi, & in ea Aristotelicorũ librorum serie, recensenda, nullum veterem scriptorem indicat, vnde id transcripserit. Quemadmodum, neq; presentes aduersarij vlla veterum fide id asserunt. *Tunc multos extitisse libros, qui mox perierint: & nonnullos qui nunc extant, tunc inuentos, qui non essent pro Aristotelicis approbati.* Nam si hoc authorum testimonijs asserunt, cur authores eos non proferunt? vt sibi fidẽ aquirant, recte eos philosophari, hoc est veritatẽ amare. At si quos proferant authores eius rei, nullos habent, videant ne hoc asserere, sit veritati amare contraria. Ad rõnẽ vero nr̃am, quam duxeramus ex 2. polit. cap. 1. de æqualitate talionis quę seruaret ciuitates, nulla rõnum vi respondetur. Nã cum diceremus, in ethico. 6. Nicomachio, nihil tale dici, sed cõtrarium potius his verbis. *Talio vero non conuenit ad legitimũ, neq; ad ciuile. respondent, minime fuiße dictũ oppositũ. Non. n. Aristotelem absolute dãnare ius talionis, sed illud dãnare, pro ęqualitate Arithmetica at non pro Geometrica.* At sciendum eo capite politico, Aristotelem, dum contra Socraticã ciuitatis vnitatem disputat, ante allata verba, hæc dixisse. *Non solum ex pluribus hominibus esse ciuitatẽ, sed ẽt ex specie differentibus. neq; fieri ciuitatem ex similibus. & aliud esse confœderationem, aliud ciuitatẽ.* Et paucula exẽpla infert. *Ex quibus ergo oportet vnũ fieri, specie differunt: Ideo æquale, id quod est talionis seruat ciuitates, sicuti in ethicis dictum est prius.* Quam æqua-

litatē declarans addit. *Quoniam in liberis & æqualibus, necesse est hoc esse; simul .n. oēs non possunt imperare, sed vel annuatim, vel secundum aliū quendā ordinem, vel tēpus, & accidit hoc modo, vt oēs imperēt veluti mutarentur coriarij, & fabri, & non ijdē semper coriarij, & fabri eßent.* Et non multo postea ita concludit. *Hi quidē imperant, illi vero parent per partes, & per vices.* Qua tota snīa docet, ciues in libera ciuitate, æqnales, per æqualitatem talionis, oēs in magistratu, & imperio, esse æqualiter, sed per tēporum vices. Hancq; talionis æqualitatem impij gerendi, & impio parēdi ęqualiter, per vices, affirmat seruare ciuitates, a seditionibus nimirum. Idq; se dixisse ait in ethicis antea. In ethicis aūt Nicomachijs lib. 5. cap. 2. species iusti in duas diuidūtur. Alteram quę sit in distributionibus honoris, vel pecuniarū, vel talium rerum aliarum, quæcumq; diuidi possunt, inter participes Reipub. Alterā quæ in cōmutationibus correctiua sit. Deinde procedēte tractatione cap. 3. & 4. priorem illā distributiuam iustitiā, docetur consistere in geometrica proportione, cōmutatiuā aūt in arithmetica. Quę ęqualitatē in oīb⁹ venetur. eāq; mediam esse maioris, & minoris, proportione arithmetica. secundum quam dixerat, nimirum, in politico, oēs debere ciues æqualiter p vices, & parere, & imperare; & æqualitatē hanc setuare ciuitates. Quinto vero Nicomachio cap. 5. contrariam habet snīam, dum inquit. *Talio aūt non accōmodatur, neq; ad legitimum iustū, neq; ad politicum. Politicū aūt voco quod cōmunicatur. Talio aūt non accōmodatur, neq; ad distributiuū iustū, neq; ad correctiuum.* Hoc aūt est, neq; ad distributiuā iustitiam, secundum geometricam proportionem, neq; ad correctiuam, & cōmutatiuā, secundum proportionē arithmeticā. Si ergo in politico dixit, Talionem æqualitatis, per arithmeticā proportionem seruare ciuitates, in Nicomachijs aūt bis expresse negatur, talionem accōmodari, neutri iustitiæ, quis non videt cōtraria hęc duo loca esse? & hos ethicos non eos esse, in quib⁹ id se dixisse Arist. affirmat? Cur ergo negatur ab aduersarijs, minime dictū fuisse oppositum? & cur dr̄, Aristotelem 5. Nicomachio nō dānare absolute ius talionis, si illud ab vtroq; iusto, & cōmutatiuo arithmetico, & distributiuo geometrico excludit? Et cur dr̄ eum dānare ius talionis pro arithmetica ꝓportione, & nō ꝓ geometrica, si neutri, illud accōmodari asserit? Tā paucis verbis, tres, scilicet falsitates in-

sunt

ſunt.& cur dr̃ amplius,Ariſt.dãnare modum,quo eo vtebant̃ veteres,ſi nullos veteres,eo vſos,cõmemorat?Sed in politico Socrat.doctrinã,de vnitate ciuitatis dãnat;in Nicoma. vero Pythagorei rep̃hendunt̃ qui,nõ quidẽ vterentur,ſed dicerẽt, & definirent,iuſtum ſimpliciter,eſſe talionem, qui verſu hoc id iuſtum explicabant. *Si patiatur quæ fecit,iudiciũq; rectũ fiat.* In quibus oĩbus,nullus veterum vſus,ſed Socratis, Pythagoreorũq; doctrina dãnat̃.Neq; recte afferunt̃ hęc verba ex eod. *Quin & in cõicationibus,rebusq; contrahẽdis,hoc ipſum ius talionis,proportione,non æqualitate concluditur.* Hoc modo nãq; ſi quis rectius ea vertat,ſonabunt. *Sed in cõicationibus cõmutatiuis cõtinet tale iuſtũ talionis per proportionẽ,& non per æqualitatẽ.* Quæ ſanè verba vel nullum ſenſum habent;vel ſibi ipſi cõtrarium. Supra .n. vtrãque,& geometricã,& arithmeticã, vocauit analogiã, quæ eſt ꝓportio. cur ergo,alterã tãtum hoc loco, eo noĩe inſigniuit? Cumq; geometricã docuiſſet verſari in diſtributione, arithmeticã in æqualitate cõmutationis,cur hic dr̃, talionem contineri in iuſto per proportionem(vt videtur)geometricã,nõ aũt per æqualitatem,hoc eſt,arithmeticã? Cum tñ hic de cõicationib⁹ cõmutatiuis ſit ei ſermo?Prius ergo,ex hoc loco hę ſpinæ ſunt aueruncãdæ q̃ pro argumẽto hic locus adducat̃.

Quod vero rñdetur ad locum ex 7. polit. a nobis allatum. *Sed beatitudo in contrarijs eſt,etenim hoc ẽt determinatũ eſt in ethicis ſermonibus.* Nullum momentum habet; cum dr̃,maxime in Nicomachijs id dici.cum virtus moralis in medio contrariorũ ſit conſtituta. Si.n. id in hunc ſenſum accipiamus, nõ magis Nicomachia,quã Eudemia & Magua; ſunt pro Ariſtotelicis intelligenda. In vtriuſq;.n. ẽt his alijs,virtus in medio cõtrariorum,eſt poſita.Præterea ẽt ſi virtus ſit in medio poſita cõtrariorum,non ſequitur,ideo, fœlicitatem quoq;, in medio contrariorum eſſe poſitã,& in cõtrarijs eſſe. Virtus.n., nõ eſt fœlicitas,neq; fœlicitas eſt virtus.ſed de fœlicitate ibi eſt ſermo;non ergo ad punctum,vt ita dicã,quæſtionis rñdetur. At fœlicitas eſt actio virtutis in vita ꝑfecta,bonis ẽt corporis,ac fortunæ oĩbus,quę oĩa virtus ſola,non adimplet. Verum ẽt ſi maxime,fœlicitas eſſet virtus,& ob id ipſa quoq;in cõtrarijs eſſet poſita,tertia ſui parte,id eſſet tantum ; non aũt reliquis duabus,bonis nimirum corporis,quæ vnum tantum habent contrarium.& bonis fortunæ,quorum nullum inter duo con

traria est positum. Fœlicitas aũt contẽplatiua, nec inter contraria versatur, nec contrarium habet vllum. Non ergo rectè nec verè, ex hac rõne, & his verbis infertur. In Nicomachijs, id dixi maxime. Verum vtriq; ridiculi videamur. Illi quòd eum locum in hunc sensum interpretentur; nos vero, ꝙ hanc eorũ interpretationẽ prosequamur. qñ locus lõge aliã cõtineat sñiam, q̃ ab aduersarijs sit accepta. Ita. n. ibi Arist. scribit.
Vtetur aũt probus vir, & pauperie, et morbo, et alijs fortunis malis, pulchrè sed beatitudo in contrarijs est; nã & hoc determinatũ est in ethicis sermonibus, quòd sunt ea, quæ simpliciter sunt bona. In quibus verbis si rectè perpendantur, cum pauperiem & morbũ, & malas fortunas dixisset, probum virum recte la urum, intulit, Sed beatitudo est in cõtrarijs. Nempe, in cõtrarijs pauperiei, diuitiis, in contraria ipsi morbo, sanitate, in contrarijs fortunæ malis, Non ergo dè virtute hic est locutus Arist. in cõtrarijs posita, sed de beatitudine, quæ sita esset in contrarijs, paupertati, & morbo: non aũt inter contraria. In hunc modum viri ẽt celebres sæpe in ijs authoribus interpretandis, quibus maxime fauent, & quos maxime profitentur, vel hallucinantur, vel vt eos tueantur, eorũ verba in alium sensum, q̃ ab ijs dicta sunt detorquẽt. Ait aũt ibi Arist. id a se determinatum esse in ethicis. ꝙ fœlicitas sit in contrarijs, paupertati, & morbo, malisq; fortunę. Id autem in Nicomachijs nullibi dictum est; Neq; ẽt si dictum in Nicomachijs id maxime esset, Arist. sibi non constaret; neq; sñia hæc vera esset. Fœlicitatem. n. Arist. in Paruis moralibus, quę sola nos ꝓ suis recipimus, non dixit, in bonis corporis, & fortunæ cõsistere, sed in virtutis non impeditę actione, his bonis, virtuti adiunctis; Quod & Eudemus, & Nicomachus, & Peripatus vniuersus, est postea secutus. Ex quo sequitur si in Nicomachijs dictum esset, & ea Arist. essent, Aristotelem in hac non vera sñia tradenda sibi non constitisse.

Oppugnãt ẽt locũ ex 6. Nicomach. cap. 3. a nobis allato. *In quo scientia dicitur habitus demonstratiuus. & quæcũq; alia adiecimus in analyticis.* Dicuntq; hunc locum nr̃æ sñiæ aperte aduersari. Id enim rñdere sñię prolatæ in primo post. cap. 2. dum definitur scire, nec nõ scientia ostẽsiua. Ad quã rñsionem ita dicimus. locum hunc, eorum sñiæ aperte aduersari. Nãq; si definit scire, nequaq̃ scientia definitur; neq; idem sunt, hæc duo. differunt. n., vt habitus, & actio, ab habitu profecta. Differre aũt

habi-

habitum,& actionẽ quis nescit? Deinde dicimus quamquam scire eo loco deffiniatur, nusquã in analyticis sciam esse deffinitã. Multa quidem, ijs libris fit eius mentio, sed nusquã eã esse explicatã,aut deffinitione cõprehensam dicimus.Et multo minus vllo loco dicitur, Scĩa est habitus demonstratiuus. quãuis,per demonstrationẽ,scĩa acquiratur,& demonstratio sit syllogismus scientificus,& fine 2. post. appelletur,scĩa demonstratiua.Quam ob rẽ quæ contra nos adducta sunt,nihil contra nos cõficiunt,nihil pro eorum snĩa efficiunt. Nec magis facit, ad eã probandã,ꝙ eod.3.cap.Nicomach.6.dicatur. *Omnem sciẽtiã fieri ex præcognitis,id aũt patefecit in principio lib.posterior.* Hoc .n. vtrũq; falsò adducitur. Neq; .n. eo capite,neq; initio posteriorum, scĩa,vel noĩatur,vel dr̃ eam fieri ex prçcognitis. Sed illo quidẽ,Omnis doctrina,hoc vero,oĩs doctrina, & oĩs disciplina. Quis aũt tam ignarus rerũ est,qui nesciat,doctrinã,& disciplinã, vniuersalius quidã esse,q̃ scientiã? Hec .n. ꝑ demonstrationẽ,& ex cãis gignitur: Illæ aũt omnẽ cognitionem per rõcinium qualecũq;, & per rõnis discursum,genitã, cõprehendunt,&quãuis scĩam quoq; suo nomine amplectãt, & ideo scientia quoq; fiat ex prçcognitis, nõ tñ vel distinctionem hanc viderunt aduersarij, vel perperã hæc oĩa confuderunt.Qua nihilominus confusione studio qçsita,nihilo magis,snĩam,vel nr̃am destruunt,vel suã construũt. Neq; acrius, aut valentius intelligunt,aut tollunt, quod nos ex Laertio adijciebamus,hisce verbis. *Est Laertij locus in Eudoxo, his verbis. Ait vero ipsum Nicomachus Aristotelis, voluptatẽ dicere esse bonũ ipsum.* Quæ snĩa est x. Nicomach.cap.2. Quẽ locum,hi contradictores,quãquã veri studiosi,& professores videri velint,affatim detruncãt. his.n. vtuntur verbis. *Vrgebant adhuc per Diogenem Laertiũ,qui tribuit ea quæ dicuntur in Nicomachijs, Nicomachò Aristotelis.* Quãuis integrum nr̃m locum antea retulissent. Qua mutilatione,studio facta,Diogeni falsò tribũnt,quç nec ipse dixit,neq; nos,ex eo retulimus. Neq; .n. Diogenes, quçcumq; in Nicomachijs sunt,Nicomacho tribuit, sed tantum snĩam Eudoxi de voluptate. quod silentio preterierunt,& eo silentio responsioni suæ inuoluto,alia quædã inuoluerunt,nõ minus,dicas licet,vel ridicula,vel absurda. Diogenis etenim verba hæc sunt. *Dicit aũt Nicomachus Aristotelis eum, &c.* Vbi Nicomachus(adiectũ) Aristotelis,nẽpe filius,asseritur id di-

cere

cere de Eudoxo. Isti aũt conuertunt, per Nicomachũ Arist. significatos esse libros Nicomachios ab Arist. constructos. Quis aũt vnq̃, linguæ sanus ita loquatur? Nicomachus Aristotelis, id est Nicomachij Aristotelis libri? Laertius sanè, si eos libros, pro Aristotelicis agnouisset, ita esset locutus, Aristoteles in Nicomachijs, vel ẽt Aristoteles in Nicomacho. Vt nos dicimus, & oẽs, non inuerse loquẽtes, Plato in Timæo, in Parmenide, in Phædro. Tã ridicule sæpe, ẽt cõem, & rectũ loquendi vsum, inuertunt homines, & peruertunt, vt, quod ab initio cœperunt, mordicus, sine vlla vera, aut verò simili rõne tueantur. Neq; .n. ad rẽ faciunt exẽpla librorũ Platonis. Nulla nãq; inter hos (quod & antea tetigimus) qui dialogi sunt & Nicomachios cognatio est. Nulla .n. persona eius nõis in his inducitur, aut appellatur: quod in Platonis, & aliorum veterũ libris vsu venit. Perperã ergo detorsio hæc, loquẽdi forma, & exẽpla afferũtur, violẽta nimiũ, atq; ideo, ad suã sñiam confirmandã, aut nr̃am infirmandã, prorsus nihili. Non maioris est momẽti, quod ad ætatem pueruli Nicomachi rñdetur. Aristotelem eos libros inscripsisse, ob spẽ, ob dilectionem, vt cõgruente tpe, ei, & alijs, inseruirent. Si exemplũ aliquod, vel testimoniũ, Aristotelis, ipsius, vel alterius, authoris alicuius, si ratio valida afferretur, ad id confirmandũ; sanè fateremur nos leuibus coniecturis esse vsos. Verum nihil tale afferre, & proprio arbitrio, & diuinatione vti, nõ vr̃ philosophi munus esse. Poterant .n. hi libri, & filio, & alijs ẽt multis, congruente tempore inseruire, ẽt sine ea inscriptione. Hęc ergo ratio vana est. Quã rem cõprobant alij eius libri, quos habemus, qui sine vlla, huic, aut illi. inscriptione, plurimis inseruierunt, & inseruiũt. Quod vero additur. *A Pythagora, & veteribus philosophis per aphoristica præcepta, Laconicasq; sñias tradebatur ea disciplina, vt facile a pueris apprehenderetur, & seruaretur memoria.* Prorsus contra aduersarios facit. Neq; .n. in Nicomachijs aphoristica pręcepta vlla sunt: aut vlla Pythagorea symbola, aut Laconicæ vllę sñię, quales Democriti, adhuc extant multæ; Sed sunt in eis prolixę, & arduę disputationes oẽs, quę nequaquã a pueris apprehendantur facile: aut vllo modo memoria seruentur. Quã rem tã apertam in eis libris, qui nõ viderit, quid spei nobis faciat, horũ librorũ reliqua se vidisse? & tã longis alijs libris recte explicasse? Hæc sanè sunt, q̃ contra aliquot

nostra.

nostrarum rõnum aduersarij attulerũt argumenta. Sed cur ad alias quoq; nõ rñderunt? Rationes Attici Platonici, scilicet, pirorem ex Eusebio adductã authoritatẽ. Qui Simplicio, plusq̃ CCCC. annis fuit vetustior. cuius tpe, sola magna moralia, ꝓ Aristotelicis ferebãtur; ducẽtis .s. circiter annis, post publicationem, Aristotel. librorũ ab Andronico Rhodio factã. Quæ res sanè argumẽto est satis euidenti, Nicomachios ꝓ Aristotelicis nõ esse habitos. Quo modo aũt Simplicio innotuerit, post annos sexcẽtos, eos esse Aristotelis, cũ ratio reddatur nulla, satior, & melior fuerit sñía prior, Parua sola Aristotelis esse. Ac videant quidẽ, qui nos cũ tot testimonijs veterũ errare dicunt, apertissime in re conspicua; ne ipsi conspicue, in re aperta errent, sine vllis testimonijs, sine vllis rõnibꝰ. Nã quas afferunt, ꝙ in Nicomachijs nil reperiatur, quod nõ sit summopere Arist. sñíæ consentaneum, qđ non sapiat constantiã, ingeniũ, iudiciũ, eruditionem, stilũ, ordinem, & methodũ, Arist. nihil sunt. Nãq; & methodus, & ordo, & stilus, imitatione, ac studio ab alijs quoq; cõformari, & effingi possunt. Eruditio aũt, in Eudemo, in Theophrasto, atq; alijs Aristotelis auditoribꝰ, cur nõ qualis in Arist. esse potuerũt? qñ ex Theophrasti libris extantibus, librorũq; nõ extantiũ titulis, ẽt maior q̃ Arist. fuisse appareat. Cuius, & iudicium, & ingeniũ, & in dogmatibus suis constantiã, Cicero testis est, multos ẽt Aristotelicis pretulisse. Neq; mirũ sit, si consentanea in Nicomachijs Aristotelicæ sñíæ scripta sint, a filio, qui eius doctrinã in Paruismoralibus traditã, sit secutus, qñ ẽt in Eudemijs eadem dogmatũ conuenientia sit manifesta: & qualis credenda est fuisse, in oĩbus talibus, suorũ discipulorũ tractationibus, & oĩum eorum, qui postea Peripatetici appellari voluerunt. Quòd si in his, exoterici sermones citantur. nõ aũt circulares, vt falsò adijcitur ab aduersario, quid mirũ, qñ ẽt ab Eudemo in suis citantur? Quod vero in calce x. Nicomachij, nos dirigat, ad libros de republ., nullius est momenti, quousq; non diluantur argumenta, quæ a nobis ad hoc allata sunt, & nisi ostendatur, nõ potuisse Nicomachũ quoq; „ de Repub. libros scribere, ad patris, ad Theoprasti præceptoris sui, imitationẽ. & eadem in ijs tractare de Rerũpublicarũ mutationib., quæ fuerant ab Arist. tractata: Et Socratem dãnare, & Platonem, patris studium in id secutus. Quos, cur nõ

etiam

etiam, amicos vocet, quid obstat. tametsi eos non vidisset? qñ & nos, post duo millia annorum nati, Platonis amici simus? ēt si non proprie in hoc loquamur, quā rē facere philosophos aliquando, non est piaculū ingens. Neq; analyticorum citatio maius habet momentū, quando & Theophrastus, & Eudemus, & Phanias eius discipuli analyticos scripserunt, & Nicomachus scribere potuerit, sicuti, & moralia, & physica scripsit, patrem secutus. Et falso dicitur, memoriæ traditum non esse, Nicomachum eius fuisse eruditionis, vt libros, tam eximia sapientia, methodo, sñiarum constantia, postremaq; perfectione præditos, valuerit formare. Nam sine vlla fictione, aut metēpsycho si traditum est, a Cicerone, a Laertio hos libros, a Nicomacho fuisse scriptos. Cōtra quorū duorū testimonia, nullum adhuc ab aduersarijs alterius authoris testimonium allatū est, quo negatum sit, eos nō fuisse ab Nicomacho conscriptos. Memoria ēt traditū est. Nicomachum alios ēt scripsisse libros: De qua re Suidas ita est locutus.

Nicomachus Stagirites Philosophus, filius quidem Arist. philosophi, discipulus aūt Theophrasti, & vt quidam, amasius, scripsit ethicorum lib. sex & de physica auscultatione patris sui. Hoc tertio ergo testimonio clarescent ēt obstinatissimorū hominū mentes Nicomachū ethica scripsisse. Quod vero dicatur, lib. sex, & non decē scripsisse, quot sunt hi quos habemus, id optime in hunc sensum posse accipi putamus, vt hi sex, cum quatuor illis, quos Laertius tradit ab Arist. fuisse scriptos, iuncti decē numerū adimpleant, & quando certū sit ex Laertio x. Nicomachi esse, quatuor priores, Aristotelici esse poterunt videri, vel quatuor hi cum sex illis commisti. quorum omnium vel, coniunctio, vel commistio, & continuatio, quia a Nicomacho, patrem in dogmatibus secuto facta sit, ꝓbabile est, ob id Nicomachios fuisse nuncupatos. Satis in præsentia esto demonstrasse, aduersarios, qui nos oppugnare studuerunt, nec nostra argumenta conuulsisse, nec suam sententiam, vllis, vel testimonijs, vel rationibus, comprobasse.

PRO MALO BONVM.

FINIS.